LVDOVICI

SENSI AD CIVES PERVSINOS

Conciones quinque.

QVIBVS PAVLI III. PONT. MAX. geſta, morés qȝ perſcribuntur, & uita denique propè uniuerſa.

ROMAE.

Apud F. Priſcianenſem Florentinum

M.D.XLIII.

LVDOVICVS SENSVS

ALEXANDRO FARNESIO

CARDINALI

S. P. D.

IN HISCE quinque concionibus, in quarum ſententiam (pro munere, quo me Aſcanius Pariſianus Cardinalis Legatus ornauit) ſæpe ad Ciues Peruſinos hoc anno publice uerba feci: adnixus ſum Pauli Tertii Pontificis Maximi quaſi ſimulacrum quoddam effingere: non quidem lineamentorum, habitúsque corporis, ſed animi, ſed ueræ, ac ſolidæ gloriæ, & clariſſime actæ uitæ. Hoc ego non indigniſſimum, quod à me tibi maximo, ac feliciſſimo eius nepoti dono daretur, exiſtimaui. Quòd ſi à doctiore artifice expreſſum, atque politum eſſet, nihil uererer, uehementer tibi probatum iri: atque adeo multo magis, quàm ſi eiuſdem imaginem, etſi maxime ab ipſo Apelle pictam, aut Lyſippi manibus cœlatam donarem. Id enim ad maximi Pōtificis tui gloriam diſſeminandam in orbis terræ memoriam ſempiternam, & longe quauis tabula, aut ſtatua ap-

tius eſſet: & ſtimulis ardentioribus ad imitandi ſtudium alios gentiles ueſtros poſſet accēdere. Tu enim auitam uirtutē jam iam feliciſſime æmularis. Quanquam quis eſt hominum, qui non conſiliorum, ac uirtutum tanti uiri effigiem malit apud ſe eſſe, quàm corporis? Iſocrate præclare docente, τὰς εἰκόνας τῆς ἀρετῆς ὑπόμνημα ἔχειν μᾶλλον ἢ τοῦ σώματος multo præſtare. Quocirca optaſſem equidem dari mihi tantum (dum hæc ſcriberem) facultatis: ut quod Apelles, & Lyſippus in ſui magni Alexandri fingenda ſpecie potuerunt: id ego in longe melioris huius mei Alexandri rebus geſtis, & uirtutibus exprimendis ualerem. Cæterum me, & ſi non potui ſatis extollere illas uerbis, & illuſtrare, ea tamen res conſolatur, quòd de Dei Vicario ſcribentem, ut eius laudes ueritate niti, non mendacio, & ſplendidæ ſuapte natura eſſe, non alieno ingenio uiderentur: par erat nō niſi nuda dictione, & omni ornatu orationis, quaſi ueſte detracta, uti debere: Eorum more, qui magna, & mirifica Dei ipſius opera perſcribentes, noluerunt ullius artificii fuco corrumpere, aut quaſi calamiſtris inurere, ſed ſimplici, ac rudi prope ſtylo literis prodiderunt. Verum, ut ſeſe hæc habeant, ſatis confido uigilias in ea re meas aut laudaturum te, aut ſaltem boni conſulturum: & ſi minus ob phraſim ignobilem, & impolitam, qua uſus ſum in ſcribendo: at certe ob ſcribendi longe nobiliſſimum argumentum, meum

hoc officium non ingratum tibi futurum: quá que
es animi magnitudine, ac bonitate non
tam hoc uile fortaſſe donum,
quàm ipſum do-
nantis animum, ac ſtudium inſpecturum:
quo pro mea in te obſeruantia, ac
pietate (ſi poſſem) his multo
perfectiora darem, multo
præſtantiora.

Vale.

SANARE ciuitatem ægram moribus, & corruptam, eſſe rem omnium difficillimam, & pulcherrimam: eam uero, quæ ita ſeruata ſit, ut nuper à Diuo Paulo Tertio Pontifice Maximo Peruſia, plus ſeruatori ſuo debere, quàm conditori.

CONCIO PRIMA.

IN OMNIBVS ciuitatibus gignuntur interdum Ciues clariſſimi, ut in humanis hiſce corporibus morbi quidam, quibus illæ inficiuntur, corrumpuntur, & niſi obuiam itum fuerit, funditus deſtruuntur. Id (ſi uelim) multarum urbium italicarum, & exterarum exẽplis poſſim oſtendere. Carthaginem præpotentem Africæ ciuitatem, ea ſuperbia, & ambitione, qua Libyæ, & magna ex parte Hiſpaniæ Imperio non contẽta, contra Romanos bellum ſuſcepit: uexatam diu, & ad extremum deletam fuiſſe accepimus. Athenæ, & Lacedæmon, duæ opibus, & rerum geſtarum gloria florentiſſimæ ciuitates, fortunas proprias, & libertatem faſtidientes, cupidine imperii, quæ arma communibus auſpiciis per ſummum decus in Perſas tulerant, in ſe ipſas,

quaſi in propria ruentes uiſcera, conuerterunt: & diu ſic conflictatæ, bello fractæ, in alienam ditionem demum ceſſerunt. Et exinde magis, magis que iuere præcipites, ita ut Scriptoribus debeant, quòd ſecum unà ſui nominis memoria non interierit. Quid memorem urbem Romam, quæ regina omnium gentium, mutuis ſuorum ciuium odiis, in eas calamitates, quas ruinæ teſtantur, incidit? Nec facile ciuitatem ullam inuenias, quæ unquam, ſimulatq; aliqua huiuſcemodi peſte correpta fuerit, conualeſcat. Eſt enim illa curatio imprimis adeo difficilis, ut qui eam ſuſcipere audeant, quàm pauciſſimi reperiãtur. Quòd ſi quiſq; uel charitate, uel gloriæ cupiditate inueniatur, qui ſuccedere audeat tanto oneri, eius ſtudium, & affectum animi laudari potius, quàm euentum, & effectum rei plærunque intelligemus. Niſi enim cum ſumma uirtute fortunam habeat obſequẽtiſſimam, adeo nihil proficit, ut perniciem, & interitum ciuitatis eius ſemper maturet. Id quod uſu uenit Gn. Pompeio, qui, cum ſero animaduertiſſet potentiam, quam eo conniuente ſibi comparauerat C. Cæſar, communi libertati iam eſſe periculoſam, obſtare uoluit: nec egit profecto aliud, quàm quòd præpropere, cum bonis omnibus, qui ſiue ſuas, ſiue Reipublicæ partes ſecuti fuerant, in exitium feſtinauit: & patriæ fatum propemodum anteuertit. Cæſar enim intelligens contra ſe nõ diſſimulanter iam arma capi, nulla

habita ratione officii, quò moderatius par fuerat eum aćturum, non dubitanter Rempublicam occupauit. Idem maioribus noſtris, cognomento Raſpantibus olim contigit, qui cum ſenſiſſent nobiliorum ſuperbiam ſuo otio, & quieti iam grauiorem, quàm ut liberi homines ferre poſſent: excutere eam ſarcinam uoluerunt. Atque ita uentum eſt ad arma, quæ, niſi cæſa, & acta in exilium parte altera, & patria oppreſſa, non quieuere. Verum qui tam incredibili, diuináque ſapientia fuerunt, & tam proſpera item fortuna ſunt uſi: ut corruptam, & ægram moribus ciuitatem ſanauerint, eos ego nõ clariſſimis uiris æquandos cenſeo, ſed ſimillimos Deo iudico. Quod enim aut præclarius ad gloriam facinus, aut conducibilius humano generi, aut gratius ſummo, & immortali Deo fieri, aut excogitari poteſt? Illam autem urbem ita ſeruatam, equidem multo maiorem gratiam huic ſeruatori ſuo debere dixerim, quàm conditori. Si quidem conſtruere ciuitatem hominis eſt, cui multitudo muris, tectíſque indigens, obſequatur. Quod certe primis temporibus, cum fœcunda natura hominum maximis incrementis quotidie augeretur: nec adhuc urbes eſſent ita frequentes, cuilibet uel mediocri uiro facile erat. A paruis enim principiis omnes ſunt ortæ. Cæterum corruptam ciuitatẽ ſanare, eſt eiuſmodi, ut qui ſe poſſe hoc profitetur, eum infinitorum hominum animos uitiis obrutos, ad uir

tutem poſſe erigere neceſſe ſit. Quod mihi diuinum plane eſſe, non humanum uidetur. Hinc fit, ut qui urbes ædificauerint, innumerabiles prope inuenias: qui ægras, corruptás que ſanauerint: tam paucos numeres, ut mihi antiquitatem omnem memoria perluſtranti, uix unus, aut alter occurrat. Humanum genus debere ſe omnium opifici, ac ſeruatori Deo, multo maiorem gratiam (ſiquo modo maiorem animo capere poſſet) confiteretur: quòd ſe ægrum, & labefactum ſeruauerit, quàm quòd condiderit. Nec dubitari poteſt, longe ſplendidius ſummam eius erga nos charitatem in reſtitutione, quàm in prima creatione enituiſſe. Romani uero M. Tullium, quòd urbem Romam nequaquam ab omni corruptela, ſed ab uno Catilinæ, & coniuratorum periculo liberaſſet, conditoris Romuli inſtar, in Libera ciuitate, patrem Patriæ appellarunt. Porro quos honores Ciceroni habendos fuiſſe credimus, ſi ab uniuerſa ea peſte, qua laborabat, Romam ſeruaſſet? quando ob commode unum tantummodo ab ea periculum declinatum, primo urbis opifici, authorí que fuit æquatus. Quæ cum ita ſint Ciues optimi, quæ lingua, quibus uerbis, Pauli Tertii Pontificis, poſt hominum memoriam, optimi maximi ingentia, & immortalia merita erga hanc urbẽ conſequi poterit? quæ mens complecti? quibus nouis, inuſitatís que honoribus proſequemur nouum hoc, inuſitatum, atque diuinum

num

num opus? Neque enim, ſi eum dixero ciuitatem hanc ægram, corruptam, perditam, ſanaſſe: pro re ſatis dixero. Mortuæ is profecto, mortuæ uitam reddidit. Quid enim eam non dicam mortuam, cuius Ciues deſyderio pereundi, atque perdendi omnia: per libidines, per rapinas, per odium, per cædes, & execrabilem fraterni ſanguinis ſitim, quo ad eius per nos fieri poterat: in interitum, & perniciem ultimam feſtinabamus? Meminiſtis (opinor) Ciues, meminiſtis, infixús que adhuc animo hæret dolor: cum paucis ante annis (nec referebat utrarum partium quiſque eſſet) iuxta boni, malí que multabantur, cædebantur, paſſim rapiebatur, uis honeſtiſſimis fœminis, ut audaciſſimo, ac perditiſſimo cuique collibuiſſet, inferebatur: domus ſpoliabantur, ſana diuorum immortalium cædibus polluebantur. Poſtremo ecque pars ciuitatis huius, non cadaueribus, cruore, luctu, quotidie funeſtabatur? Ecquis ſacrarum uirginum cœtus, id temporis, à libidinoſorum hominum inſidiis tutus fuit? Atque adeo nihil ſanctum erat: leges, mores, ius, fás que, peſſum ierant: ut boni omnes (neque hæc poſſum ſine lachrymis memorare) quoduis duriſſimum exilium, quod ſibi quiſque ultro ſumebat, infelicibus patriæ tectis præponeretis: & ad uicina oppida extorres cum familiis ueſtris turmatim confugeretis. Sed ò me ineptum, qui redintegratione illorum malorum, ueſtros animos propemodum

uulnerauerim: qui hunc lætiſſimum, ac feliciſſimum comitiorum diem, eorum temporum luctuoſa com memoratione fœdauerim. Agendæ potius Deo opti mo maximo gratiæ fuerant, qui diutinas calamitates noſtras miſertus, finem malorum fecerit: luctum ab‑ ſterſerit, eúm que demum paſtorem dederit, qui lan‑ guidarum ouium uicem dolens, nihil antiquius ha‑ buit, quàm ut quacunque ratione nos, noſtrám que hanc ciuitatem ſanaret. Atque ita in animum indu‑ xit, nullis ſumptibus, curis, laboribus, non denique (ut reor) ſuæ ipſius uitæ eſſe parcendum: dum id ef‑ ficeret, quod præter omnium ſpem, atque expecta‑ tionem hominum, diuina quadam, & incredibili fe‑ licitate, atque uirtute ſua perfecit. Vós que pro meo officio admonendi mihi eratis: ut, quanta charitate, quam tenero, ac paterno animo, noſter hic medicus ſalutem nobis curauerit, memoria teneretis. Neque enim, niſi mollium medicamentorum ſemel, atque iterum, ac ſæpius facto periculo, acrioribus unquam remediis rem eſt aggreſſus. Verum ubi perſenſit pa‑ rùm indulgentia promoueri, iniurias acceptas nequic quam ſe remiſiſſe: petitiones, & uota noſtra lenitudi‑ ne, ac liberalitate fruſtra ſæpiſſime ſuperaſſe: memor nulla remedia tam eſſe ſalutaria, quàm quæ dolorem faciunt, uirgas corripuit, cecidít que (ſi modo fateri uera non piget) ut iuſta in iracundia ſummam cle‑ mentiam, ſeuero in principe poſſetis Ciues aman‑

tiſſimum patrem agnoſcere. Quàm multi offendi-mus? quàm pauci pœnas luerunt? Nec eſt quamob rem pauci illi, tametſi grauiſſime errauerint, tamen deſperent: cum patrem eſſe, qui corripit, & ſane miſericordem patrem iam perſentiſcant. Sed omiſſis illis, ad nos reuertor: quibus antiquos honores prope, & antiqua emolumenta nuper reſtituit: quæ ut fouentia ægritudinem noſtram (pro ſua prudentia) non ita multo ante ademerat. Nec cenſendum eſt eum liberalitatis ſuæ ac donandi, terminum hunc, finém que eſſe uoluiſſe. Quin (ſi modo ex multis indiciis, (de ſententia animi licet coniicere) certus ſum, neminem ueſtrum perinde amare chariſſimos liberos ſuos: ut Diuus Paulus Pontifex Maximus urbem hanc. Nec ſatis ſtuporem ueſtrum mirari poſſum, ſi, dum paucis ante diebus coacto populo, grauiſſima, ac ſapientiſſima oratione, nos ad officium, fidém que cohortabatur: per oculos, qui charitate miris modis eo die ardebant, in intimas ſui acceſſi amore ergà nos animi latebras, oculis, item animís que ueſtris non penetraſtis. Penetraui ego quidem Ciues, penetraui: & ex his, quæ inibi mihi perſpecta ſunt, audeo affirmare: non tam ipſos donari nos, expleri que eius beneficiis deſyderare, quàm illum omnibus uotis expetere, ut digniſſimos, in quos liberalitatem ſuam effundat, cum priuatim, tum publice nos reddamus. Quòd uero non ad antiquam omnino formulam,

nobis magiſtratus nũc reſtituerit, factum exiſtimate, non ſecus, atque iis, quos paulo ante febris reliquit: quibus nõ ſtatim omnia uſitata ſanis cibaria, ſed paulatim per prudentes medicos reſtituuntur. Ne forte debilitata, ac fracta morbo natura tanta eſcarum ui opprimatur, ac recidat in ægritudinem. Noſtrarum itaque partium fuerit, dare operam: ut ſuo erga nos tam bono, tam paterno animo, ut tanta beneficentia nõ indigniſſimi uideamur. Mox, ut qui ab illo (præter merita) & multis, & maximis beneficiis ſumus affecti: nihil petentes, nos fidei, ac bonitati eius penitus committamus: certi cum ob charitatem ſuam in nos, cuius tot grauiſſima teſtimonia, ac pignora iam habemus: tum ob ſingularem prudentiam, cui multo magis, quàm noſtræ, par eſt nos fidere, & inniti: futurum ut quæ optima nobis erunt, atque aptiſſima, per ipſum ultro affatim ſuppeditentur. Præſtemus nos gratos, ac bonos uiros, ut nulla unquam tot laborum, tot curarum, tantorum ſumptuum, pro liberandis nobis factorum pœnitentia capiatur. Et quantum ipſi poſſumus meritorum in nos maximorum memoriæ conſulamus: narrantes ipſi poſteris noſtris: illósque, ut liberis item ſuis, quaſi per manus tradant iubentes: & literarum (ſiqui poſſunt) monumentis etiam committentes: ciuitatem hanc ſauciam, ægram, perditam, breuíque omnino perituram, ſumma, & incredibili ſapientia, cura, felicitate

Diui Pauli Tertii Pontificis Maximi conſeruatam. Et interim in officio perſeuerantes, non modo illi, ſed in illius gratiam omnibus eius miniſtris, debitam fidem, obſequium, & reuerentiam exhibeamus: præſertim uero Aſcanio Pariſiano, Cardinali, Legato ſuo uiro optimo: qui ita commiſſam prouinciam adminiſtrat, ut ſiquando dubium fuit, uerúm ne eſſet, quod iactabatur, iuſtitia, fide, manſuetudine, modeſtia Romanæ eccleſiæ Procerum, aliis que ſingularibus uirtutibus olim factum, ut tot ciuitates, tot prouinciæ, in eius imperium ſponte ceſſerint, id apud nos deſierit dubitari. Quos Aſcanius Pariſianus tanta integritate, moderatione, ſapiētia, ac liberalitate regit, ut bonitatem ueterum Patrum referat, & nemo ueſtrum non ſentiat, multo beatius (dum huic ſimiles mittantur cum imperio in prouincias) ſub Romanæ Eccleſiæ ditione, quam libere, ac ſuis legibus uitam duci.

CONCIO

DIVVM Paulum Tertium Pontificem maximum Peruſinis hominibus poſt Deum eſſe amandum unice, ex Euangelici Samaritani parabola.

CONCIO SECVNDA.

CHRISTVS IESVS ſeruator noſter, Ciues clariſſimi, cum ſummam noſtræ ſalutis eſſe in exactiſſima erga Deum pietate, charitatéque confirmaſſet, & amore æque, ac in nos ipſos, in proximum: interrogatus, quiſnam eſſet is proximus: fertur appoſite in hanc ſententiam reſpondiſſe. Homo quidam Hieroſolyma Hiericum deſcendens, forte incidit in latrones: qui cum nudatum ueſtibus, uulneribus multis confoſſum, exanimatum, uix uiuúmque reliquerunt. Euenit autem, ut illac forte ſacerdos tranſiens, uiderit quidem illum, & neglectum omiſerit. Similiter Leuita, cum eadem iter haberet, prudens, & ſciens eum præteriit. Samaritanus uero quidam, eadem proficiſcens uia, illo animaduerſo, miſericordia commotus eſt: & feſtinanter accurrens, cruda uulnera illita oleo, ac ſubinde diluta uino, ſedulo obligauit: ipſúmque iumento ſuo impoſitum, in diuerſorium quoddam intulit: atque inibi probe curam illius egit: Poſtridie autem hoſpiti ad ſe uocato,

depromptos

depromptos duos denarios dedit: hoſpes inquiens, diſceſſurus hunc tuæ committo fidei: obſecro ut in eum omni ſtudio, diligentia, curá que incumbas: & ego propediem reuerſus, quodcunque præterea inſumpſeris, libens reponam. Quis ergo eorum trium uidetur homini illi fuiſſe proximus? Cui, qui fuerat percuntatus: Is (inquit) qui in eum adhibuit miſericordiam. Tum Ieſus: Vade (ait) & fac ſimiliter. Quaſi diceret: Is profecto proximus eſt, amandús que ſui ipſius inſtar. Quod quidem exemplum ediſſerens, uideor mihi facturus operæpretium, ſi ex eo, quaſi ex Ieſu Chriſti ore, quis nobis potiſſimum amandus, colendús que poſt Deum ſit, commoſtrauero. Homo igitur, qui Hieroſolyma Hiericum proficiſcens, incidit in latrones, quod ad noſtrum hoc inſtitutum attinet. Vos, uos inquam, optimi Ciues, cum patribus ueſtris fuiſtis, hic populus, & hæc ipſa ciuitas fuit. Latrones, qui principio ueſtibus ſpoliarunt, mox uulneribus multis illatis nudam, & agentem animam reliquerunt: fuere fraterna odia, factiones, tyrannis: ex quibus tot latrocinia, rapinæ, expilationes, fluxerũt: ut nuda, rerum inops, egéns que relicta fuerit. Ciuium enim, qui (ſi leges ualuiſſent) honeſta aliqua ratione, atque induſtria, augendæ rei dediſſent operam: alii timidiores, atque puſilli animi, ſentientes opum uſum non modo non eſſe liberum, ſed diuitiis multos in diſcrimen uitæ adductos, nonnullos etiam per

ditos, malebant pauperes, & duriter: ſed per ocium, & nihil agendo uitam traducere, quàm ſatagẽdo aliis laborare: & perdendæ uitæ unâ cum opibus, periculo ſe obiicere. Alii uero generoſioris indolis, atque impigri, rapere, quàm egere honeſtius eſſe exiſtimabant. Atque ita tyrannis ex paupertate, paupertas ex tyrannide oriebatur. Eránt que hæ duæ res in uicem ſibi cauſæ, effectús que: & uires, & incrementum altera ex altera acquirebant: & eo deniq; rem adduxerant, ut hæc urbs non unum, aut alterum tyrannum habere, ſed complures uideretur: & æque omnes mendicitate eſſemus pene oppreſſi, ut ſuæ cuique ſordes domeſtice fidem faciunt. Quam enim aliam paupertatis noſtræ cauſam afferemus? cum agrum præter mirificam amœnitatem adeo rerum omnium, quas natura, luxús q; deſyderant: uberem habeamus, ut annis ſingulis in biennium, & interdum hoc amplius, fruges ſuppeditet. Sed quorſum attinet quaſi in re dubia, argumentis ex longinquo repetitis, quod inſtitueram, confirmare? An eſt obſcurũ multis honeſtis uiris, nihil præter diuitias, in cauſa immaturæ necis fuiſſe? Neminem nomino: ſed ex tacito illo ueſtro oculorum alterius in alterum conie&tu, ſatis intelligo uos tenere, me etiam neminẽ nominante, de quibus ſentiam. Quot uiri optimi nulla alia ex cauſa, quàm quòd eſſent locupletes, proſcripti, & in exlium acti fuere? Quot uirgines à complexu diuitum, & alia ſo

bole

bole carentium parentum, ui diuulſæ: quibus magis Plagiariis collibuit, fuere datæ in matrimonium? Quàm multis ſub ueſperam, in uiis publicis, in foro, demptum eſt pallium: & addito quaſi in re ludicra, neſcio quid carminis incompoſiti, domum expeditiores remiſſi ſunt? Quàm multis data eſt optio, aut certam argēti ſummam pendendi, aut intra eiuſdem diei ſpatium occidendi? Quot fana expilata? Quot domus ſpoliatæ? Sed quid ego queror domos, cum integræ regiones, non ſecus, atque ſi hoſtis, non ciuis habuiſſet muros: direptæ fuerint. Atq; ita, quos dixi latrones, hanc miſeram ciuitatem ſpoliarunt, diripuerunt, uituperarūt. Addita ſunt uulnera: ò Deum immortalem, & quæ uulnera? Quippe quibus, demirari nequeo ſatis, ipſam iam multis annis non funditus concidiſſe. Fingite animis Ciues: liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ: & quæ uolunt ſic intuentur, ut ea cernimus, quæ uidemus: fingite igitur cogitatione (id quod res eſt) ciuitates, ſua inſtar humani corporis habere membra. Magiſtratus capitis locum obtinent, uentris uero Primarii, & opulenti ciues, artifices brachiorum, & manuum uice ſunt. Homines ruſticani, quí que tellurem moliuntur, crura, pedésque repræſentant. Iam quod ex membris huius tum moribundæ, & infeliciſſimæ ciuitatis, non miſerandum in modum afflictum fuit, percuſſum, & atrociſſime laceratum? Caput ſpectemus licet: Sed ne-

queo partem hanc pertractare, quin nominatim aliquos notem: & mihi certum eſt à nominibus abſtinere, ne uidear non in uitia dicere, ſed in perſonas. Vos tamen cognouiſtis Ciues, nullam dignitatem, nullum honorem, quorundam ferro ſanctum fuiſſe. Iam uero ad uentrem primores illos, opulentós que ueniamus. Nón ne uidemus nobiliores familias deletas, fere ad nihilum recidiſſe: quòd immani crudelitate inuicem ſe cædentes, adeo nullis pepercerint: ut neque fragilis ſexus, neque infirma ætas, ſecura fuerit? Vagientes enim pueros, puellás que in cunabulis trucidatas, prius pene uiuere deſiiſſe uidimus, quàm incepiſſent. Neque uero ſola crudelitate in uiuos, tanto odio, tantæ ulciſcendi libidini, factum eſt ſatis: ſed concurſum eſt ad ſepulchra: & ut neque etiam in morte finis malorum eſſet, ſæuitum in cadauera: ac in cineres multis ante annis conditos, exempla edita immanitatis. Nec in tantis ciuitatis motibus artifices quieuere: quin ipſi etiam ad exitiale bellum (Tiſiphone urbe media horrende canente bellicum) exciti, cepere arma, & in fraterna ruentes pectora, ciuili ſanguine omnia conſperſere. Pedes etiam, & crura afflicta, debilitata, fracta nequibant ſe ſe amplius ſuſtinere. Atque ita, dum corpus miſeræ Peruſiæ nudatum, ſaucium, undique laceratum, & mortuo quàm uiuo ſimilius iaceret: habentibus forte illac iter facerdote, nec non Leuita, uiſum eſt: & nullo auxilio præ

ſtito

ſtito derelictum. Hi fuere tot alii ſummi Pontifices, qui noſtra infirmitate animaduerſa, rati eam nulla ratione curari poſſe, nihil opis, aut parum admodum contulere. Habuit tandem iter etiam hic noſter liberator Paulus Tertius Pontifex Max: hic noſter Samaritanus (quæ uox hebræa cuſtodem ſonat) nimirum uerus ouium cuſtos, atque germanus paſtor. Is lupis diripientibus, ac diſpergētibus miſerum gregem conſpectis, non ſordidum mercenarium egit, qui quod oues ad eum nihil pertineant, ubi uentum eſt in diſcrimen, dimiſſis illis fugere conſueuit. Sed paratus (ſi ſit opus) pro ſuis ouibus animam, & uitam ipſam profundere: plagis noſtris animaduerſis, minime deſpexit, quin ex uiſceribus, fibríſque intimis miſeratus, extemplo ad nos accurrit: & latronibus illis, qui intentis gladiis importuniſſimi noſtris ceruicibus etiã imminebant, uirtute, ac celeritate ſumma reiectis, primus nobis iacentibus, & afflictis pontificiam fidem, dextrámque porrexit: mox debilitatos, ac morbo fractos, nec progredi noſtris uiribus ſatis ualētes, nec ſtare: iumento moderationis, & prouidentiæ ſuæ impoſuit. Et quanquam nos ægrotantium more, qui neque infirmitatem, neque remedia pati poſſunt: haud quaquam in eam partem, in quam agebantur, illa accipere uidebamur: ipſe tamen non tam quod nobis dignum fuiſſet inſpiciens, quàm quod uirtute ſua digniſſimum, in diuerſorium ueræ diſciplinæ ciuiliter, ac moderate uiuendi intulit:

obligatis tamen imprimis noſtris uulneribus, & modo illitis oleo, quod natura lenit, & mitigat: modo dilutis uino, quod (ut noſtis) acre eſt, & infuſum uulneri, perſtringit, pungit que paululum. Oleum fuit, toties deprecantibus grauiſſima errata, neminem ne aſſe quidem multando, libenter, ac ſummo ſtudio condonaſſe: toties petitiones noſtras, ac uota, immortali beneficentia ſuperaſſe: maximam frumenti uim nec petẽtibus, nec ſperantibus, nec cogitantibus quidem nobis, diſtribuendam in annos ſingulos conſtituiſſe. Magnitudinem quæſo donationis eius Ciues, conſyderate: & quantulum item erat, quod ſumptibus deductis, tum in ærarium Pontificium ex ciuitatis huius uectigalibus, & tributis hominum ruſticorum conferebatur: & intelligetis Pontificem præſertim quibus annis arctior fuit annona, plus pene, quàm ex uniuerſa hac ciuitate quæſtores ſui redigerent, uobis donaſſe. O ſummam in nos noſtri Principis charitatem. ò nouam, & inuſitatam liberalitatem. Ecquis populorum, qui ſub alio Imperio degunt, nõ cupiat, aut principem ſuum huic noſtro eſſe ſimillimum: aut certe potius ſe huic noſtro, quàm cuiuis alteri eſſe ſubiectum? Ecquis non portenti ſimile eſſe cenſeat, illi Principi, cuius nihil unq̃ præter ſummam clemẽtiam, lenitudinem, liberalitatem, ac paternum animum ſenſeramus: nos potuiſſe non in omnibus eſſe obſequẽtiſſimos? Poſtremo ſi hæc à

me literis mandarentur, ecquis poſterorum legens nõ crederet uana, falſa, & in alicuius gratiam eſſe confi-ćta? Cum tamen ea uos, apud quos dico, ſenſeritis eſſe uerißima. Hæc denique, & infinita alia bene-ficia fuere oleum, quo Diuus Paulus Tertius Ponti-fex Maximus plagas noſtras illeuit: ut noſtros ani-mos beneficentia captos ad meliorem frugem redu-ceret. Sed cum ſenſiſſet oleum & ſi maxime lenie-bat, humores tamen noxios non arcere: nec ſatis à putri ſanie uulnera expurgare: icit imprimis ueluti fulmine, amentium illorum audaciam, qui cum Py-gmæis eſſent infirmiores, gigantum immemores, uo luere telis concurrere quaſi cum Ioue. Deinde no-bis legibus noſtris, priuilegiis, & magiſtratibus in-terdixit. Hoc fuit profecto unum: cuius acrimo-nia putredo, praui que humores abacti ſunt. Sub hæc, magna pecuniarum ui pro ſeruandis nobis ex-prompta: loco illius hoſpitis euangelici, nos curæ, ac fidei Caſalenſis Antiſtitis primum, deinde Aſcanii Cardinalis Ariminenſis commiſit, hominum & ad gerenda, me hercle, imperia, & ad regendas urbes, prouinciás qꝫ, à natura ipſa fictorum: charitate uero in nos, prudentia, & integritate, id quod ipſi experti eſtis, ſumma, ac ſingulari. Qui quãta cum prouiden tia ad id muneris electi fuerint, quantá que ipſi libe-ralitate, iuſtitia, ſapientia, illud expleuerint, nihil ſane ad hoc tempus: & inſtitutum. O Peruſia, ò patria, ò

tot doctiſſimorum, ac ſapientiſſimorum hominum mater: ò omnium honeſtiſſimarum, & pulcherrimarum artium, ſcientiarúm que antiquiſſimum domicilium. Erís ne adeo rerum inſcia, & capta oculis, ut non intelligas, quiſnam hic ſit, quem ſecundum Deum, præ rebus omnibus, ac præ te ipſa, diligere, amare, colere tenearis? Vt non intelligas, cui pro ingentibus, ſummis, & immortalibus erga te meritis, ingentes, ſummas, & immortales gratias debeas? Dubitas forſitan, ne ſint ſuperbiſſimi filii tui? qui te iratiſſimis hoſtibus magis infenſi deſpoliarunt: nudám que conſpuendam, ac deridendam omnibus propoſuere: qui incredibili tui ſanguinis hauriendi cupiditate, nefarium, impiúm que ferrum lateri, ac uiſceribus tuis toties defixerunt? Dubitas forſitan, ne tot ante hunc Pontifices ſummi fuerint? qui licet calamitates tuas dolentes, libenti animo quidem, ſi pares ſe oneri exiſtimaſſent, opem tuliſſent: cenſentes tamen tantam uim morbi nulla ratione curari poſſe: pro deplorata prognoſticis (ut eſt in medicorum prouerbio) te reliquerunt: & lachrymis tui caſus acerbitatem potius, quàm quód auxilii quicquam tulerint: ſunt proſecuti. Paulus Tertius Pontifex optimus, maximus, Paulus inquam uere is eſt, quem tantopere amare, ac ſumma pietate colere ſemper teneberis. Is enim nulla rei difficultate, non deſperata ægritudine tua deterritus, diuina quadam charitate actus, quam largiter

cordi

cordi eius Chriſtus infudit: te ægram, uix uiuam, & certe agentem animam, uitæ, ac ſanitati reſtituendam ſuſcepit: & illi ſimillimus, qui nouem, & nonaginta ouibus relictis, requirendæ uni deperditæ ſe totum dedidit: te perditam, & profligatam grauiſſimis laboribus, curis, ſumptibus conquiſitam: denique inuenit. Et plus te una inuenta, quàm cunctis aliis gaudere prope uidetur: te unam curare, te unam quotannis uiſere. Et te unam, perinde atq; unicas ſuas delitias, munire, colere, exornare. Nec quod alicubi nunc deiecta, fœdum inſpicientibus aſpectum præbeas, uehementer te angat uelim: ſiquidem nō longa die, quaſi tritici granum, quod ſi in terra conditum, putreſcat, ac moriatur, uberrimum fructum affert: has tuas ruinas cernes in pulcherrima ædificia conſurrexiſſe. Ad hæc ne illæ ſua cura abactæ peſtes, in te recidiuam de integro impetum faciant: arcem hanc certiſſimum tranquillitatis, quietis, ocii, ac ſalutis tuæ præſidium, infinita molitione, ac ſumptu poſuit. Eá que omnia (ne fallere) nullis meritis tuis egit, ſed mera, ſimplici, libera, & inaudita bonitate ſua in nos: noua, ac gratuita charitate. Eris ne unquam igitur uſque eo ingrata, ut beneficiorum tantorum immemor, nō unice authorem illorum diligas? Non qui te prior amauit, redames? Non ſis parata illas opes, illas uires, & illos denique filios, quorum ſalutem, ac bona omnia uni illi debes, in gratiam ſuam exponere? Iubent

hoc eius in te merita: iubent leges, mores, æquitas, iubet Chriſtus. Ego uero & meo nomine, & bonorum præterea multorum teſtor: niſi ſis enixe datura operam, ut tuo huic liberatori, officiis omnibus, aliquam gratiæ partem reponas, dolenti animo ſemper futuros, nos non in quouis alio uel obſcuriſſimo loco, ortum potius, quàm in hoc tum ingrato, inhumanó q; habuiſſe. Sed mihi uideor audire te pudentem ita referre. Si quæ ægritudo mihi miſere membra omnia occupauerat, non mentem etiam perſtrinxiſſet, nunquam profecto patris optimi, cuius unius opera hac cœleſti aura, hac luce, hoc ſpiritu adhuc fruor, uoluntatem repudiaſſem. Sed tum ego, non liberum animi mei ductum ſecuta ſum: uerum egi, ut me uis morbi, quo miſere agitabar, urgebat. Suæ igitur inſitæ, & innatæ, mihí que cum primis perſpectæ clementiæ, ac bonitatis fuerit: ut paulo ante indulgenter pepercit, ita etiam, non omni excuſatione me indigniſſimam iudicare: præſertim cum mea hæc contumacia, & proteruitas, in eius gloriam, ampliſſimúm que honorem ceſſerit. Nam ut beneficum eſſe in bonos, gratós q;, digniſſimum quod multis laudibus commẽdetur, nunquam negauerim: ita (quoniam qui id fecerint, multi omnibus tempeſtatibus ſunt inuenti) neſcio quomodo uideri id eſſe dixerim minus præclarum. At de iis, qui male meriti ſunt, mereri optime, non humanum profecto eſt, ſed diuinum,

uinum. Nec ſane iri poteſt inficias, Diuum Paulum Tertium, uti Deum, cuius uim, & numen in terris tenet, mecum egiſſe. Nunc uero, quoniam eius opera iam ut corpore, ita etiam mente ualere incipio: agnoſco nouum, & inſolens beneficium: agnoſco merita diuina, & immortalia. Quòd ſi unquam facultas referendæ gratiæ dabitur, ſiue illi, ſiue nobiliſſimæ, ac generoſæ illius genti: cuius opera ſtrenuiſſima in me ex ore, ac fati faucibus eripienda, eſt uſus: profecto nec rerum mearum ulli, nec mihi denique ipſi parcam. Et poſtquam per fortunam minime licet, tantorum erga me meritorum memoriam in auro argento, pretioſó ue ſaltem marmore inſculptam, in ſempiternum monumentum poſteris tradere. Certe (quod poſſum) filiorum meorum animis, nulla delendam obliuione imprimens, æternitati, immortalitatí que commendabo.

DIVVM Paulum Tertium Pontificem Maximum non humano ritu egiſſe in Peruſinos, ſed Chriſti inſtar: qui eos non ſemper optime de ſe meritos, compluribus, & immortalibus beneficiis cumulauerit.

CONCIO TERTIA.

QVOTIES ego Ciues clariſſimi, ad conſyderandas actiones ſanctiſſimi uiri Pauli Tertii Pontificis Maximi erga urbem hanc, mētem applico (quod quidem ſæpe, ac libenter facere ſoleo) toties cum obſtupeo, tum, uelim nolim, cogor in exclamationes quaſdam prorumpere: quibus ſummo, & immortali Deo gratias ago maximas, & immortales: qui illum ad obducenda, ſananda que non modo urbis huius, quam mihi uidetur ab inferis excitaſſe, ſed totius Italiæ uulnera, noſtris potiſſimum temporibus, demiſerit quaſi de cœlo. Simul oro, ac omnibus uotis obteſtor, ut illum immortalitate digniſſimum, tam diu ſaltem ſuperſtitem eſſe uelit, dum res noſtras adhuc pro uoluntate mea non ſatis firmas (quod ſemper agit) optime confirmarit. Et ſentio animum, qui ſe illi beneficiis obligatum, & uere obſtrictum eſſe intelligit: poſt-

quam nulla alia ratione aliquam gratiæ partem refer-re poteſt, geſtire, ad cœlum laudibus ipſum efferre: & apud cunctos mortales eximiam manſuetudinem, ſummam clementiam, incredibilem charitatem, & magnitudinem ſuorum erga nos meritorum, teſta-tam facere. Verum ubi animaduerto orationem ani-mi deſyderio (& ſi maxime adnitor) non ſatisfacere: & me quaſi nouam alitem, quæ euolandi cupiditate nidum egreſſa, pennis, ac uiribus deſtituitur: nõ lon ge progreſſum cadere: æger animi mœreo. Sed tum maiorẽ in modum doleo, ac perturbor, cum in quoſ dam (hebetiorés ne dicam, an peruicaciores?) inci-do: quibus ea (ut uideri uolunt) magnifica quidem, ampla, & ſplendida: ſed non ita, uti à me prædicari ſo lent, eſſe uidentur. Quæ profecto quanto maiore in-tentione, ac ſtudio, à ſanæ mentis hominibus, & ci-tra liuorem conſyderantur: tanto magis apparet illo-rum authorem Paulum Tertium Pontificem Maxi-mum fuiſſe ſummo, & immortali Deo multo ſimil-limum. Quód ſi humano ritu nobiſcum agere uo-luiſſet, nos, ò Ciues, ciuitatem nullam fortaſſe hodie haberemus. Neque enim urbium defectiones con-donari facile conſueuerunt, nec fere niſi excidio uin-dicari. Nimirum uti earum euerſione, aliæ docean-tur fidem, iuſiurandum, & fœdera uiolata ab illis, ſan cta exiſtimare. Tullus Hoſtilius nõ ob conſumatam defectionem, ſed tantum conceptam animo, Albam

à fundamẽtis ſubuertit. Fuluius Capuam, quòd poſt tres illas memorabiles Romanorum clades, & uniuerſam Italiam ab Annibale fere ſubactam, uictori ſeſe dedidiſſet: necatis primoribus, & multitudine reliqua Ciuium diuendita, ad ſolitudinem prope redegit. Thebæ quòd ad Perſas ab Alexandro Macedone deſeciſſent, fuere funditus diſturbatæ: quamuis nõ tam certo, ac libero ſuorum Ciuium iudicio, quàm fraude Demoſthenis deſciuiſſent. Iam ſi ciuitates illæ, quæ forte etiam dominorum ſuperbiam, & impotentiam cauſari poterant, dignæ habitæ ſunt, quæ euerterentur: & ita habitæ, ut nemo eorum, qui poſt tot ſæcula ſine ullo animi in alterutram partem affectu, eorum caſus cognoſcit, non confiteatur iure euerſas: profecto huic noſtræ uehementer etiam, atque etiam timendum fuerat: quæ à Pontifice ut omnium poſt hominum memoriam uniuerſi gregis amantiſſimo, ita de nobis præ omnibus cæteris ſubiectis, optime merito: deficere uiſa eſt. Viſam dixi, non tam quid ipſi egerimus, quàm quid ille dici uelit, inſpiciens. Compertum eſt enim mihi, aures illius (ò mites, ſanctiſſimi, & amantiſſimi patris aures) uix poſſe perpeti, cum defeciſſe nos confitemur: & rei atrocitatẽ uerborum lenitate eum mollire. íd que non quidem illecta, & inuitata (ut ciuitates ſolent, dum fortunæ ob ſecundant, atque obtemperant) ullo principis noſtri incommodo: nam mores eius, prudentia, uirtús que

fuere

fuere eiuſmodi, ut non habitus à fortuna in poteſtate, ſed habuiſſe in poteſtate fortunam hactenus (abſit inuidia) uideatur. Erít que ut ſemper ſapientiſſimus, ita etiam, ut ſpero, & opto, nunquam non feliciſſimus. Et tamen ſtat etiam hæc ciuitas, & ita ſtat, ut quamuis alicubi nunc deiecta, diſturbatá que uideatur, ſperem tamē eam nunquam tam à patribus noſtris uiſam florentem: quàm nos illam ædificiis, incolarum frequentia, optimis, honeſtiſſimísque artibus, uiſuri ſumus. Et nos uiuimus etiam: & ita uiuimus, ut præter paucos, qui non immitiſſimas pro ſuo ſcelere pœnas luerunt, nunquam maiores noſtri ſanctius, aut beatius uitam duxerint. O nouam, & inauditam clementiam. ò ſummam, & admirabilem bonitatem. Vere ò Paule optime maxime, nō proruendis urbibus, quamuis peſſime ſint commeritæ: non profligãdis populis, quamuis peccauerint: nec deniq; perdēdo cuiquam uenisti: ſed quemadmodum Chriſtus Ieſus, cuius hac certe in re fuiſti maximus imitator, ſeruandis his, quæ perierant. Cæteræ enim uirtutes tuæ, quarum exitum, ſi ingrediar, nunquam ſim inuenturus: celebrabūtur quidem omnium gentium linguis, neque ulla ætas de tuis laudibus conticeſcet. Sed illæ, etſi ſunt ſplendidiſſimæ: tamen quòd & alii uiri maximi ſimilia fortaſſe interdum egerint, minus poſteritati admirabiles uidebuntur. At eſſe uſum tanta moderatione, manſuetudine, clementia, aduerſus

eos, qui te ad ſtomachum, uindictám que prouocauerant: id qꝫ iuſta in iracundia, quæ eſt inimica conſilio: & in uictoria, quæ natura inſolens eſt, & ſuperba, ſunt propriæ laudes tuæ, cum nemine hominum tibi communes. Italiam enim perpetuis bellis tot ſæcula agitatam, iam multos annos pacatiſſimam habuiſſe: potentiſſimorum, & iratiſſimorum principum odia, prudentia, dexteritate, authoritaté que compreſſiſſe. Factiones, quibus ciuitates prope omnes ditionis pontificiæ laborabant, ita extinxiſſe, ut cum re, ipſarum etiam factionum nomina interierint: Optimas artes, ac ſtudia honeſtiſſima, quæ obruta tenebris diu iacuerant, in lucem maximam reuocaſſe: Sacrum Purpuratorum collegium, non his, qui plurimi licerentur, ſed ſapientiſſimis, ac ſanctiſſimis patribus ſuppleuiſſe: Quæ ad religionem attinent, uehementer conſolidaſſe: Tam hominum (præſertim ſacris initiatorum) mores, ad moderatiorem, & ſanctiorem regulam conformando: quàm eorum ingenia, qui ſe ad cognoſcendas ſacras literas applicuiſſent, cenſibus, honoribúsque ſummis fouendo. Quod utinam ante actis temporibus factum eſſet, profecto non tantum diſcordiarum, ac ſeditionum in Chriſtiana Republica haberemus: lutheranæ ſectæ contagionem, ita cohibuiſſe: ut quæ ſi modo incrementis, quibus inceperat, ſe propagaſſet: breui peruaſura omnia uidebatur, ſeſe adhuc intra Germaniæ iam pridem occupatos fines

nes

nes contineat: ſummo ſtudio, ac charitate ſemper de-diſſe operam, & dare ſedulo: ut qui matri ſanctiſſimæ nuntium remiſerũt, paternam curam repudiarunt, ſe à piorum fratrum commercio abdicauerunt: prodigi illius filii inſtar, ad cor redeant, errores agnoſcant, & ſeſe in patentes amantiſſimi patris complexus, & in maternos ſinus coniiciant: ſunt quidem res maximæ: atque haud ſcio, an ab ullo unquam homine, præter te unum adhuc confectæ: ſed quæ fieri poſſint, ſed naturæ conditioni minime repugnantes. Cæterum uictoriam temperaſſe, iracundiam cohibuiſſe, animum ſuum uiciſſe, deuictos non modo iacentes erexiſſe, ſed etiam amplificaſſe, ornaſſe, & infinitis beneficiis proſecutum eſſe: longe maiora ſunt: & illa qui fecerit, non eum ego ſummum uirum dicam, ſed Deo ſimillimum iudicabo. Verum nõ ita multo ante in orationis curſu, uos obducto ſupercilio mihi propemodum ſubiraſci animaduerti: quòd nõ de certorum hominum culpa loquens, ſed generatim, & perinde ac ſi uniuerſi à ſanctiſſimo noſtro principe deſciuiſſemus, uehemẽter timendum excidium huic ciuitati fuiſſe dixerim, cum in ea tot optimi uiri eſſetis, qui nunquam ab Romana Eccleſia, nunquam à ſummo illius moderatore Diuo Paulo Tertio deſciuiſtis: nunquam non ſingulari fide, obſeruantia, pietatẽ que coluiſtis: nunquam non à nefariis perditorum conſiliis, alienos animos habuiſtis. Audio, aſſentiórq;

uobis. Hæc enim nec me fugiunt, nec Paulum Tertium Pontificem maximum fugere cenſeo. Qui, ut ſummus omnium moderator, iudex que Deus, culpam omnem perditis quibuſdam ciuitatibus, olim ſi in eis uel decem uiros non peſſimos inueniſſet, condonaturus fuerat: ob uos innoxios, omnibus qui noxæ aſtricti eſſent (præter admodum paucos) pepercit. Cæterum, tametſi hæc ciuitas multos ſpectatæ fidei, ac probitatis ciues haberet, tamen quando eam perditis nonnullorum conſiliis, eo præcipitatam eſſe animaduertimus: ut arma capere, quàm obedire optimo principi ſtatim maluerit, liberare eam omni noxa nõ poſſumus. Sed faceſſant, obſecro, illæ uoces: Pauci errauere: nos in culpa nõ ſumus. Nam (grauate equidem dicam Ciues, attamen dicam: cum etiam me tacente res ipſa clamitet) profecto omnes peccauimus: nec eſt qui in officio exacte manſerit. Duobus enim modis iuſtitia uiolatur: & id agendo, quod fieri non oportuerat: & id, quod factu neceſſarium fuerat, omittendo. Iam etſi maxime ex primo capite ſimus innoxii, tamen quod attinet ad ſecundum, nec ſi Demoſthenes reuiuiſcat, purgare nos ſatis poſſit. Per Deum immortalem, nos non fuiſſe auſos illorum conatibus, qui hanc ciuitatem in ea mala coniiciebant, obuiam ire? Non ad tenebricoſa, cœcá que illa conſilia aperienda compellere? Cur illi ad crimen, quàm nos ad glorioſum facinus audentiores? Cur illi ad capienda

 pienda

pienda arma contra principem, quàm nos pro principe, pro fidé que promptiores? Cur illi ad perdendam, quàm nos ad ſeruandam patriam fortiores? Aequum, & bonum, ius, fás que, & Deus ipſe pro nobis denique dimicaſſent. At enim ipſi primo arma ceperant, iuuentutem fraude ſeductam, atque impia iuriſiurandi religione obſtrictam armauerant: exules reuocauerant, magnam mercenariorum militum uim conduxerant: ſtipatum erat armatis forum, obſeſſæ portæ, nec cuiquam muſſitare, aut omnino hiſcere tutum erat. Noui ciues, nec forte ſine aliquo capitis mei periculo (ut mihi ſunt inter uos certiſſimi teſtes) noui: Nam cum nactus occaſionem, unum ex his, qui tum capita rerum erant, miſeram ciuitatem, quæ ſe in eorum fidem commiſerat, commendans, liberius admonerem, nequaquam debere eos in publico, támque arduo negotio agere rem priuatam: né ue apud ſe uellent, rerum ſuarum timorem habere maius momentum, quàm patriæ charitatem. Quamuis grauiſſime erraſſent, non eſſe de miſericordia deſperandum. Salua ciuitate, ſalua communi cauſa, non defuturas rationes, quibus eorum quoque ſaluti conſultum foret: illa euerſa, nil ſupereſſe, quo ruinas rerum ſuarum conſolarentur, aut ſubleuarent. Et alia præterea adderem: Veſano prope uultu eſt inſectatus: me his uerbis nihil aliud mihi uelle, quàm ut quinque, & uiginti capita obtruncarentur. Om-

nino enim timebant, ne, ſi res ciuitatis concordia tranſigeretur, ipſis ſolis ob quædam imprudentius ad miſſa, luendum eſſet. Né ue maiorẽ curam in Rem publicam priuatus ego conferrem, quàm ea uellet: aut quàm ipſi conferrent: quibus ſe illa crediderat. Et interminatus, ſi pergerem, infortunium: meum nomen extemplo detulit ad collegas. His, uni ex eo numero, mei animi explorandi negocium dari placuit. Simul mandarunt, ut me uerbis caſtigatum, moneret agi de ſumma rerum, non eſſe ſibi aliquid impotentius permittendum futurum, ut ſiquid prætерea temere effutiſſem, opprimerer. Quid hic facerem? Fateor me admonitum etiam à propinquis, & contubernalibus tacuiſſe. Nec mihi id ſoli contigit, quin plærique alii optimi Ciues, quibus illorum conſilia non probabantur: iniecto metu, ſilere coacti ſunt. Et eam ob cauſam Ioannem Baptiſtam medicum Meuanatem, qui pro ſua prudentia illorum temeritatem caſuram, irritam intelligebat, eám que alíquando in circulis, & inter amiculos exprobrabat: pro capitis reo in cuſtodiam datum uidimus. Sed audendum profecto fuerat, audendum: & pro principe, pro fide, pro patria, cadendum fortiter. Nec poſſum ſatis mirari, in tam magna urbe, non fuiſſe multos fortes uiros, qui tum auderent ſe in certam mortem coniicere, ut patriam à tot malis, eo tempore imminentibus, liberarent. In qua ſatis ſcio

eſſe millenos, qui pro gloriola, ſexcentis grauiſſimis periculis capita ſæpiſſime obiecerunt. Verum fuiſſe in fatis (reor) ut ſolito tum eſſemus timidiores, ne nobis iactare unquam liceret, Paulum Tertium pro noſtris ullis erga eum meritis, tot in nos beneficia contuliſſe: ſed ſingulari uirtute, ac bonitate ſua, omnes gentes id factum eſſe cognoſcerent. Nam niſi Peruſinis hominibus, alioqui (uel exterorum etiam teſtimonio) & manu promptis, & ſatis fortibus ad mortem, cum uſus eſt, oppetendam: de cœlo ſiue timor, ſiue ſtupor ille inſolens incidiſſet: nunquam profecto commiſiſſemus, quin pectora per ſummum decus illorum ferro, quo contra principem, contra officium, contra fidem, in perniciem publicam ſeſe armauerant, obtuliſſemus. Neque enim ſalis oneri declinando (ut uideri uolebant) ea uis, & ea arma comparabantur: non id occultis illis, cœcis que conſiliis agebatur, non id quærebatur, Ciues: ſed ut licentia agendi, quod audaciſſimo cuique collibuiſſet, & impunitas, quæ uirtute Diui Pauli Tertii Pontificis oppreſſa diu iacuerat, reuiuiſceret. Non Pontifex, ut ad emendum ſalem aſſe, & triente nos cogeret, arma intulit. Quid enim aliud hoc fuiſſet, quàm contra Auguſti inſtitutum hamo piſcari aureo? Immo quid aliud, quàm ob minimum, & incertum compendium, diſpendium facere maximum, & certiſſimum?

Sed illi illi ad capienda arma, recuſantem, inuitúm que Pontificem compulerunt: Illi, illi (inquam) eius dextram ad uindicandam, tuendám que rem, & dignitatem ſuam, quam ipſi uiolabant, armarunt. Deo id forte agente, qui ex maximis hominum ſceleribus bona maxima occultis quibuſdam rationibus elicere conſueuit: ac permittente, ut in ea crimina aduerſus Paulum Tertium Pontificem Maximum, Peruſini homines prolaberentur: ut Paulus Tertius Pontifex Maximus ad liberandam Peruſiam ea corruptela, qua miſere ægrotabat, mentem penitus, atque animum applicaret. Quemadmodum ut Chriſtum homines cruci defigerent, quo per Chriſtum ſalus humano generi compararetur, ante permiſerat. Nam per Deum immortalem, Ciues, quorſum attinebat in re non omnium grauiſſima (id quod omnes nunc experimur) tantas tragœdias excitare? Precibus potius ſummi Pontificis animus ſæpius tentandus fuerat, & fatigandus. Quòd ſi per noſtros, res non admodum pro ceſſiſſet, ex Purpuratis patribus aliquot fuerant ſupponendi. Qui certe (qua ſunt humanitate, ac beneficentia in omnes) multis precationibus eum aggreſſi, non dimiſiſſent, uſque dum illorum precibus, & noſtris lachrymis uictus, exorari ſe permiſiſſet. Scilicet deſperandum erat, aut uerendum, ut qui tanta liberalitate, & indulgentia, quantam nullius principis in ullos ſubditos audiuimus, fuiſſet nos proſecutus:

& ſe

& ſe frequenter facillimum in aliis grauioribus præbuiſſet, in hoc plane inexorabilem exhiberet. Ego uero ex ſpectatiſſimis uiris, & qui dicerent ſibi eſſe compertum, ita accepi. Oblatas his, quorũ fidei tum Reſpublica commiſſa erat, conditiones quaſdam fuiſſe, quibus & factum eſſet ſatis ſummo Pontifici: & ciuitas hæc (ſi mens læua non extitiſſet) ex eo ſalis negocio, non modo nihil damni, ſed magnum quæſtum ſenſiſſet. Quas illi uerentes (ut creditur) ne Republica compoſita, ipſis ſolis dependẽdum eſſet: ſunt aſpernati. Alioquin quorſum attinebat pro ſale minoris emẽdo, uel pluris, à principe optimo, ac de nobis iam toties optime merito, ſe auertere? Quorſum illam damnatorum hominum colluuionẽ in patriam reuocare? Præſidium conducere? Vicinos ſollicitare? Non uos ea mandaueratis Ciues: nec profecto, ſi uobis omnibus cum ipſa patria cadendum fuiſſet, unquam mandauiſſetis. Verum tum ciuitati huic (ut in Athenienſium prouerbio erat) noctua aduolauit. Chriſto, qui mentes, animós que noſtros exacte nouerat, male conſulta optime fortunante. Neq; enim diripi aura tot publicas poſtulationes, tot innoxiorum puerorum, tot uirginum, tot honeſtiſſimarum matronarum, pia uota, precationés que paſſus eſt. Nós que non modo à periculis tum imminentibus, ſed etiam ab his peſtibus, quibus antea laborabat hæc ciuitas, liberauit. Iam uero operæprecium eſt animad

uertere, quibus acribus pœnis, exquiſitis tormentis, inauditis ſuppliciis, Diuus Paulus Tertius tantas iniu rias uindicauerit. O cœlum. ò quæ beatas cœli ſedes incolitis, mentes beatæ, & immortales. Vos nunc ap pello, uos teſtor: uideritis ne poſt hominum memo= riam? Videritis ne (inquam) moderatiorē animum, & puriorem: affectionibús que humanis minus ob= noxium? Non eſt ex maximorum principum in= genio, quibus quicquid collibuit, licet: iuſtam iracun diam temperare, multis offenſionibus animum per= citum cohibere. Is uero terrarum Deus, Summi, & immortalis Dei Vicarius: cuius nutui cœlorum por= tæ obediunt: quem maximi totius orbis Chriſtiani Reges dominum agnoſcunt, & confitentur: quem proni adorant omnes mortales: toties laceſſitus, to= ties prouocatus, nec offenſionem grauitate, nec laceſ= ſentium tenuitate, qua interdum uideri ſolent iniuriæ indigniores, tantum potuit irritari, ut ex ciuitate hac maiores pœnas ſuſcipere unquam uoluerit, quàm quæ ad ſanandam eam, & morbo, quo diu laborauе= rat, penitus liberandam, ſatis eſſent. Et ad reddendos Ciues ex factioſis, & turbulentis, quietos, moderatos, manſuetós que ſufficerent. Magnifice ſane, ac ſapien ter, ut qui perſpiceret, quæ in eum admiſſa eſſent, ni hilomagis potuiſſe ſibi obeſſe, quàm ſummo, & im= mortali Deo, infinita maledicta, quæ ab impuris ho= minibus in eum quotidie iaciuntur. Quibus adeo

ipſe

ipſe non læditur, ut exercēdæ per maximam gloriam miſericordiæ, præbeant occaſionem. Paulus itaque, Ciues, ne unquam nō ſui ſimilis uideretur, ut in aliis rebus omnibus, in ipſa etiam uindicta, huic ciuitati uehementer prodeſſe uoluit. Hcc uere eſt, eſſe patrem, hoc uere eſt, eſſe Chriſti Vicarium. Cum enim uereremur, ne ſub duriſſimis legibus, damnatorum ad pœnam more, nobis uiuendum eſſet: uirtute, & diſciplina Caſalenſis Antiſtitis, cui nos primo commiſit, ita informati, ac inſtituti: manſuetudine uero, bonitate, ac ſapientia Aſcanii Cardinalis ita recreati, erecti, & duplici ipſius aduentu confirmati, aucti, & ornati ſumus: ut nullibi terrarum maiore quiete cenſeam, aut melius, aut ſanctius uitam duci. Honeſtiſſimarum enim artium ſtudia, quæ diuturna impunitate, & effrenata gladiorum licentia, perculſa, atque proſtrata diu iacuerant, ita erecta ſunt, ut in hanc urbem, quam ueluti inhoſpitam peregrini fere uitabant: nobiles adoleſcentes, quaſi ad optimarum literarum ſecuriſſimum mercatum undique confluant. Iudicia uero, quæ modo metu, modo gratia, ferme nunquam libera fuerant, ſæpe uenalia, ita ſunt conſtituta, ut ſi cui parum ex ſententia lis ceciderit, dolere is quidem poſſit: conqueri iniuſte datam (ſi quid frontis eſt, erubeſcat. Reuocata fides, compreſſæ libidines, ſublata tyrannis, abacti Ciues nefarii, iuuentus, quæ partim ætatis lubrico, partim conſuetudine, de-

lapſa in uitia ultro fluebat: legibus uincta, & ad diſci plinam integram reuocata. Extincta odia, conſtituta pax, ſtabilita quies, &(ut compendio dicam) factum, ut hæc ciuitas, in qua, ante Paulum Tertium Ponti= ficem Maximum, audacia, uis, & arma, plurimum poterant, ſit hodie & legibus, & moribus ſanctiſſi= me conſtituta. Hæc fuere ſupplicia, hæc tormenta, hæ pœnæ, quas à nobis exegit Paulus: Hæc memo= rabilis illa uindicta, qua ſpretam authoritatem ſuam eſt ultus. An non prope imitatus illum uidetur, qui percuſſoribus ſuis regnum quæſiuit, cœlum aperuit, æternam beatitudinem comparauit? Agedum me= mentote hæc ſemper Ciues. Hæc(ut Moſis more lo quar) ſint ſigni inſtar, quod inter oculos moueatur, aut manibus alligetur. Hæc ueſtrarum ædium limi= nibus inſcribantur. Hæc ſedentes domi, & foras in= ambulantes, quotidianis ſermonibus agitate. Hæc in poſterorum ueſtrorum, & in totius orbis terræ me= moriam diſſeminate. Conſtituite ſolēnem æternum diem, quo ciuitatem hanc ab illis monſtris, quæ eam tot ſæcula agitauerant, lacerauerant, eránt que prope= diem confectura, ſumma, & incredibili charitate, ac diuina uirtute Pauli Tertii Pontificis Maximi libera= tam memoretis, ac publice gaudeatis. Et pro tot me ritis, pro tot immortalibus beneficiis, pro accepta ue= ſtrum omnium ſalute, gratias ſaltem habete, laudes reponite. Non quòd laudibus noſtris egeat. Non ut

noſtra commendatione ſuis uirtutibus lux accedat. Sunt enim illæ per ſe clariſſimæ: atque adeo, ut nulla ætas, nulla gens poſſit unquam de ſuis laudibus conticeſcere. Sed, ut officioſos, gratos, ac meritorum memores nos præſtemus. Quod cum ſuapte natura eſt honeſtiſſimum, tum igneos quoſdam ſtimulos addit animis liberalibus, ut de quibus bene ſint ſemel meriti, de eiſdem mereri optime ſemper deſyderent. Simul ne ab exteris, quibus clam non eſt, ex quàm perdito, & deplorato ſtatu, is Deus noſtræ ſalutis, Deus noſtræ uitæ, Paulus Tertius: nos in hanc quietem, in hanc lucem eduxerit: indigni in quos contulerit tot beneficia iudicemur. Quantum enim ad ipſum attinet, nihil eſt quod haſce humanas laudes magnopere concupiſcat: quæ tametſi annis, & ſæculis multis durabunt, ſunt tamen cum ipſo tempore ad extremum interituræ. Habet, habet profecto ipſe ſolidiores laudes, ſolidiorem gloriam, ſolidiores, ac certiores in ſummi, & immortalis Dei ſinu repoſitas coronas. Quæ ut multis nominibus ſint ei debitæ, ſi tamen nullo alio eſſent, uno hoc, quòd liberando hanc urbem, infinitos ex uobis, ac liberis ueſtris Ciues, qui haud dubie ferro occidiſſetis: neci ſubtractos in uita hac conſeruauit, iure optimò deberentur. Siquidem in eo ciuitatis ſtatu (ut iam prouerbio tam apud uos, quàm apud exteros, tritum erat) Peruſini homines, uictimarum inſtar, ad cædem, & ad gladium na-

ſcebamur. Et infinitas item noſtratium hominum animas Chriſto aſſeruit. Qui niſi ipſe fuiſſet, rapinis, cædibus, & ſexcentis id genus ſceleribus, & flagitiis, ſeſe dedentes, æternis cruciatibus deberētur. Et in hoc rerum ſtatu, uirtutis, & chriſtianarum artium uiam facile ineuntes: corporibus ad extremum ſoluti, recta in ſinum Abrææ euolabunt. Sed iam receptui canendum eſt Ciues, & oratio cohibenda, in quam admirabili delectatione, qua me ex Diui Pauli Tertii meritorum in nos commemoratione affici ſentio, imprudēs prope ſeſe animus meus effudit: ea apud uos proferens, quæ nunquam nō apud ſe tacitus meditatur. Quod reliquum eſt itaque uos moneo, hortor, obſecro, & obteſtor, ut omni officio, omní que pietate, hunc noſtrum liberatorem, hunc noſtrum Herculem, hūc ſanctiſſimum uirum ita colatis, ut quo animo hactenus in nos fuit, eundem animum noſtræ ſalutis, ac commodi, ac noſtrorum ornamentorum cupidiſſimum ſemper retineat. Et poſtquam cum infenſos olim, & contumaces amantiſſime complexus auxerit multis, & immortalibus beneficiis: nihil eſt iam, quod de incredibili eius charitate, non liceat recōciliatis nobis ſperare: ea freti, ne tranſuerſum quidem unguem à uoluntate ipſius, & à commonſtrato obedientiæ tramite aberrantes, quæ in rem noſtram futura ſunt, ſuppeditaturum eum cumulatiſſime expectate.

Collatio

QVARTA.

COLLATIO horum temporum, cum Peruſiæ moderate, ac ſancte uiuitur, & ſuperiorum, cum abacta iuſtitia regnabat ſcelus.

CONCIO QVARTA.

DEVM IMMORTALEM Ciues clariſſimi, hodie mane ita humiliter adoraui: & ueniam ſupplex popoſci: non quidem ut mihi in tanta ueſtrum frequentia dicturo, uerba ſplendida, & ornata ſuppeditaret: ex quibus ego apud uos aliquam eloquentiæ laudem conſequi poſſem: ſed ut meæ, ueſtræ, & omnium deniq; urbis huius incolarum mentis oculos, ita ſemper patere uellet, ut quem rerum ſtatum olim obtinuerimus, quem que hodie obtineamus, perſpicue, ac ſi ſemper præſentes eſſent, &, ut nunc facimus, diſcerneremus. Certū haberem enim nos unquam non intellecturos, agendas gratias; habendás que ipſi perpetuas, & immortales: qui nos præ patribus, auis q; noſtris charitate inſigni complexus, his potiſſimum temporibus miſericordiæ ſuæ oculos in hanc noſtram urbem deflexerit. Tyrannis, & factiones, quæ duo mala multas, & maximas urbes funditus euerterunt. Superioribus annis (quod noſtis) ueſtram hanc tam male habuere, ut ex opulēta,

& uiris pace, & bello ſtrenuiſſimis refertiſſima, in maximam rerum, & illuſtrium hominum inopiam, ſolitudiném que adduxerint. Nam nobiles illi mercatores, quos terra, maríque ſolitos in hanc urbem conuehere multa, quæ in uſum eſſent à maioribus noſtris accepimus: diſcordiis nobiliorum, ciuiúm que cognomento Raſpantium, ſummoti: tantum opum hinc ad alias gentes aſportauere, ut exinde Peruſia egens, inóps que nunquam non fuerit. Nobiliores uero familiæ, ſuborto inter ipſas, parta uictoria, ciuili bello, cum magna reliquorum Ciuium parte, ad internitionem fere deletæ ſunt. Quot direptiones? quot indigniſſimæ innumerabilium Ciuium neces? quot nobiliſſimorum ædificiorum incendia, ex illis diſſenſionibus orta ſunt? Vidít ne ulla hominum ætas nefarium, dirúm que aliquod ſcelus, quod non multo crudelius fuerit intra hæc mœnia repræſentatum? Solem finxere antiqui auertiſſe ſeſe, currúm que ab inſtituto itinere declinaſſe, ne parētem filii membra inſcienter edentem ſpectaret. At in hac ciuitate non defuere, qui firmis oculis, utinám que non etiam lætis, fratrem fraternum latus ferro aperientem, cór que inde multa ui auulſum, tremens, palpitáns que adhuc commanducantem aſpexerint. Quot patricii generis Ciues, ex altiſſimis curiæ feneſtris fuere dati præcipites? Quoties forum hoc, quoties exundans, fluéns que ciuili ſanguine (ò infauſtam recordationem) au-

dientibus

dientibus nobis memorauere parentes noſtri? Pauci que anni ſunt(non loquor uobis incognita)cum in hac ædificiorum frequẽtia, intra ambitum hunc murorum, uita maiore cum metu, ac periculo degebatur, quàm in quouis deſerto ſaltu. Nec quiſquam ueſtrum erat optimi Ciues, cui muliebris pudor, res familiaris, & denique ipſa uita, intra domeſticos parietes ſatis ſecura à libidine, àuaritia, crudelitate illorum hominum foret: quibus, cum cœnum eſſent, & fæx ultima urbis huius, tantum noſtris odiis, ac diſcordiis permittebatur. O paulo ante miſeram ciuitatẽ, quam iuſte potes dolere illorum, quibus olim commiſſa es, ſiue negligentiam, ſiue inuidiam, quorum cum officium eſſet reddere te honeſtiorẽ, ac cultiorem, quàm accepiſſent, ex cicuri, & manſueta, ſylueſtrem, ac feram prope fieri paſſi ſunt. Quàm iuſtas, quàm magnas laudes Diuo Paulo Tertio uiro ſanctiſſimo debebis uſque dum ſtabis? qui cum te ſauciam, corruptam, ac deſperatæ ſalutis ægram accepiſſet, ſtudio, diligentia, cura, laboribus, ſumptibúſque maximis ſanauit, conſeruauítque.: & abacta tyrannide, & iniuſtitia, fuſis, fugatíſque diſcordiis ciuilibus, rapinis, cædibus, & ſexcentis id genus malis: ex inſperato pacem, otium, ius, fáſque, ac bona omnia nobis reuexit. Ita ut qui nunc tanta iuſtitia, manſuetudine, æquitate, uitam hic duci uident, obſtupeant: uíxque oculis ſuis credant, te illam ipſam eſſe Peruſiam, in

qua paulo ante ui, atque armis omnia geri uiderant. Quàm iuſte doleois ſemper illorum ſiue fraudem, ſiue imprudentiam, qui in te cruentas, ac ſceleratas furias, cum tedis ardentibus induxerunt? quibus tot annos iam miſere agitata, ne paululum quidē unquam conquieſti. Quas laudes huic ſeruatori tuo in omne futurum æuum debebis, qui diris illis, execrabilibúſque peſtibus ſummotis, multa molitione cœpit te fidei, æquitatis, modeſtiæ, uirtutum omnium, & pulcherrimarum artium reddere ſanctiſs. domicilium? quas laudes, quos honores inquam? cum eius opera, qui poſthac accenſis illis ad gloriam undique comparandam animis præditi, ex te naſcentur: dextrum iter uirtutis corripientes, egregiis belli, pacíſque artibus ad ſydera nomen tuum extollent. Quàm deniſque iuſtis querimoniis tenebricoſam illorum memoriam execraberis? quorum nequitia, cum generoſi filii tui in uitia declinauerint, nequiſti eo gloriæ euadere, quo te felix natura tua, & magnitudo animi eorum ferebat. Nam cum memoria repeto pectoris fortitudinem, conſilii acrimoniam, præſtantiam, uigorem, & ſingularium uirtutum ſemina, indita noſtratium illorum animis Cecolini, Biordi, Brachii, Nicolai Fortis Brachii, Trium Picininorum, & aliorum præterea multorum ducum, ad quos nominatim recenſendos nomenclatore aliquo opus eſſet: qui in bellis, ne quid aliud dicam, ſuis tempeſtatibus regnauere.

re. Cum item tot magnos iuriſconſultos, ad quo-
rum reſponſa, quaſi ad certiſſima totius orbis oracula
ab remotiſſimis quibuſq; terrarum oris concurreba-
tur, quorum nomina quid etiam quaſi ſubobſcura
nunc citem? quippe quæ non apud nos modo, ſed
in extremis quibuſque terris ſunt, erúnt que, dum
tellus ſtabit, cœlúm que uerſabitur: ſemper clariſſi-
ma: cum denique tot ſummos & diuinarum, & hu-
manarum rerum ſumma prudentia præditos uiros,
qui item hoc in loco ſunt nati, quós que hoc ſolum
aluit, mecum recogito: ſic apud me ipſe conſtituo:
urbi huic, ſi modo non ad æquandam gloriam cu-
iuſuis maximæ, & potentiſſimæ ciuitatis, certe ad pro
xime aſſequendam, non defuiſſe uiros altiſſimis qui-
buſque dotibus præditos: ſed tempora, & fortunam,
quæ illos in urbe hac, cum maxime inquinatis mo-
ribus eſſet, naſci curauit. Quòd ſi ætate minus cor-
rupta, aut in urbe aliqua bene morata, & ciuiliter in-
ſtituta nati fuiſſent: & non in ſtruenda ſibi in uicem
pernicie, ſed in opera ſtrenue (ut debebant) principi
danda, uirtutem oſtēdiſſent. Non poſſum animum
inducere, quin credam illos fuiſſe regni eius fines la-
tiſſime prolaturos: Italiam incurſionibus, bellis, ua-
ſtationibus, tot ſæcula diuexatam, liberaturos: & pa-
tria opibus, ſpoliis que expleta, nomen ſuum ſum-
ma cum laude immortalitati commendaturos. Cum
contra quòd illa temporū fæce, in hac tum corruptiſ-

ſima ciuitate ſint orti, in immenſam uitiorum (quæ tum uigebant) uoraginem præcipites fere acti, ſummis illis ingeniis, uigore animi, ac magnitudine male ſunt uſi. Modo enim in patriam, modo in principem, modo in ſe ipſos ferentes iniuſta arma, ad extremum & ſe, & patriam unâ perdiderunt. Eam, qua temporum iniuria, atque (ſi modo licet) forte negligentia illius ætatis principum, caruere maiores noſtri: ciuilis, & moderatæ uitæ rationem, & diſciplinam iam iam ipſi habemus Ciues: habebunt uero perfectius, & cumulatius poſteri noſtri, diuina primum indulgentia, mox ſingulari, incredibilí que uirtute Diui Pauli Tertii optimi maximi. Qui cum nobiliſſimam eſſe hanc materiam, & informatam peſſime cognouiſſet, uigilantiſſimo ſtudio, ſollertiſſima cura, magnis laboribus, & grauiſſimis ſumptibus, prauam illam, indecorám que formam ſuſtulit: & expurgatam materiam, rurſus ſapientiſſime, ac ſanctiſſime informauit. Quicquid igitur bonæ, atque honeſtæ rei ex hac ciuitate unquam prodibit, id uos, & poſteri ueſtri Ciues, debebitis Paulo Tertio: eidém qꝫ acceptum iure optimo referetis. Quaſi fructum eorum ſeminum, quæ ipſe animis ueſtris indidit, & inſeuit: docens uos colere iuſtitiam, & pietatem, timere leges, paci, ac quieti operam dare, amare principem, & cum uſus poſtulat, cum pro eo, tum pro fide arma eſſe capienda, & mortem fortiter oppetendam.

Per hanc itaque ſecuriſſimam obedientiæ ſemitam, ab eo nobis amantiſſime commõſtratam, alacres ite: per quam nos tanta facilitate, ac lenitudine, uir optimus Aſcanius Cardinalis Legatus eius, deducit: ut charitate, ac beneficiis erga nos, certare propemodum cum ſummo ipſo principe uideatur. Et curſum ueſtrum intelligetis non modo ueſtra expectatione, ſed opinione omnium, meliori, ac beatiori fine tandem exceptum.

EXEMPLO Diui Pauli Tertii Pontificis maximi, oſtenditur Deum nulla ratione nobis comperta, poſſe hominibus magis prodeſſe, quàm ſi regnare optimos uiros uelit: Ac eiuſdem Pauli res geſtæ, & uirtutes iuſta oratione fere perſcenſentur.

CONCIO QVINTA.

QVEMADMODVM Ciues clariſſimi, ex hominum actionibus, de illorum animis certo coniicimus: ita etiam ex ſubiectarum urbium moribus, de Rege earum licet haud dubie iudicare. Quin forte nõ omnino abſurdum ſit, ſiquis Regem regni ſui animum eſſe dicat. Nam ueluti animis hæc noſtra corpora informantur: & ex illorũ ſtatu, ac conditione aut turpitudini ſeruiunt, aut honeſtati: ita ẽt regnis, prouinciis, ciuitatibus, ex ſuorum principum moribus, inditur forma quædam, qua fit, ut illorum uelut imaginẽ, in his, quæ à ſubiectis inibi aguntur, facile agnoſcas. Neque id poſſe, cenſeo, exemplis ullis luculentius confirmari, quàm quæ Vrbs Roma ſub ipſis ſtatim initiis ſuis edidit. Nam tametſi forte non admodum mirum eſt Romulum primum eius opificem, & conditorem, natura uirum ferocem, Romani populi animis ita belli gerendi artes, ac ſtudia

indidiſſe, ut nouus, & uix hactenus coaleſcens, Sabi-
nos auſus ſit, aliás q; finitimas gentes ultro laceſſere:
ut Fidenates, Veientés que potuerit bello uincere.
Profecto eſt dignum admiratione, quòd cum Nu-
ma Pompilius uir religioni, ac paci deditus, Romulo
ſucceſſiſſet, ferociam illam ex bellicoſæ ciuitatis ani-
mis delere: eós que ad pacem, & ad ocium traducere
ſtatim potuerit. Quamobrem Roma (ipſis ſe homi-
nibus in Regis ueluti unici exempli mores formanti
bus) tribus, & quadraginta annis, quibus Numa re-
gnauit, nullum aduerſus aliquos bellum geſſit: nul-
lam aliquibus occaſionem aduerſus ſe belli gerēdi de-
dit. Et maiore animaduerſione etiam dignum eſt,
quòd, cum poſt Numam Tullus Hoſtilius nō ſolum
proximo rege, ſed Romulo ipſo ferocior, regnum ade
ptus eſſet, extēplo deſidem populum, excuſſo omni
quietis, ocií q; ſtudio, in arma auſpiciis illis mouerit,
ut inde ſuccedētibus ciuitatis principibus, nunq̃ nō
Romulo, ac Tullo, quàm Numæ ſimilioribus, Ro-
ma uſq; ad Auguſti tempora fere ſemper in armis fue
rit. Ex quibus quidem exēplis continenter intra eadē
mœnia conſecutis, manifeſte liquet, quod, uti ſigil-
la ceræ ex anulo, ita etiam mores populorum animis
ex principe imprimuntur. Quamobrem Ciues, quan
to uos hodie moderatius, ac ſanctius uitā, quàm ante
agitis, tanto principem, cui nunc paretis, ſuperioribus
moderatione, & omnibus uirtutibus præſtare, iudiciū

ſacere licet. Nec cenſeo Deum ratione ulla hominibus comperta, durius populum quenquam ulciſci poſſe, quàm ſi male moratum Regem conſtituat. Nam cum princeps his, qui ſuæ ſunt ditionis (ut dictum eſt) animi loco ſit, ad cuius unius exemplum, & uoluntatem conformant ſe omnia, ac mouentur: nequit fieri, quin in ſcelerati, ac nefarii principis regno, nefarie cuncta fere agantur, & ſcelerate. Quemadmodum etiam turpem hominem, & fœdo animo præditũ, fœde, ac turpiter omnia gerere neceſſe eſt. Non igitur citra rationem locutus uideri poteſt, qui nullum eſſe malum in ciuitate, quod princeps non faceret, affirmauit. Quin quotidie fere cernimus, à prauo Rege, ueluti à uenenato fonte, ex cuius aquis hauriant omnes, infinitas alias labes in populos deriuari. Nec ex contrario poſſe ulla alia ratione Deum magis hominibus prodeſſe uideo, quàm ſi regnare optimos uiros uelit. Et quamuis plæriſque ueteribus exemplis poſſim id confirmare, nolo tamen, niſi hoc uno recenti, quód que adhuc (Dei benignitate) ſub oculis uiuum habemus, uti: nimirum Diui Pauli Tertii Pontificis poſt hominum memoriam optimi maximi. De quo non modo nos, qui eius uirtute, laboribus, curis, ſumptibus (ut ſæpe ex hoc loco à me audiſtis, & ipſi oculis ueſtris perſpicitis) ex omnium malorum colluuione ſeruati, in hunc pacis, ocii, tranquillitatis, & omnium bonorum cumulum in hanc

lucem educti ſumus: ſed Italia uniuerſa, ſed Europa, ſed omnes homines, qui Chriſto ubiuis gentium nomen dederunt, perpetuas, & immortales gratias agere, atque habere Deo deberent. Nam cum ſuperiorum Italiæ principum ambitio inter Chriſtianos Reges (ſiqua fides eſt apud eos, qui hæc literis prodiderunt) diſcordiarum tantum inuexerit, ut ipſa Italia non modo inde uaſtata fuerit, ſed Germanorum Hiſpanorum, gallicorúmq; exercituum ſepulchrum facta, oſſibus ſqualleat: & potentiæ chriſtiani nominis hoſtibus tantum acceſſerit, ut uerear aliquando ne. Sed piget triſte aliquid ominari. Hunc cernimus ut in gratiam eos reducat, omnia tentare, omnia moliri, in omnia ſeſe uertere: non ſumptibus, non laboribus, non ſuæ denique uitæ parcere. Quot itinera iam ſex, & ſeptuaginta annos natus confecit? Quot ob eam ipſam cauſam confecere nepotes ſui? Quot maria? quot terrarum tractus per imbres, per æſtus, per frigora emenſus eſt? Nunc Bononiam proficiſcitur, nunc Maſſilienſium Niceam nauigat, nunc Lucam properat, nunc itidẽ Bononiam refertur, nũc in citeriorem Galliam recurrit. tantum ut aliquem diſcordiis finem ſtatuat: & gregem creditum à ſæuiſſimorum hoſtium armis ſecurum reddat. Et cum nequiret ipſe in locis omnibus eodem tempore præſto eſſe, quemadmodum pro Republica nunquam ſibi pepercit, ita nec ſuis unquam parcendum ratus: iam

bis Alexandrum Farneſium Cardinalem nepotem, paci publicæ ſtatuendæ, curſim trans alpes Allobrogum, & pyreneos ſaltus legauit. Parum admodum præ Reipublicæ charitate ſolicitus, quòd corpus illud adoleſcens, tenerúm que adhuc, immenſa ea iactatione, cui ſæpe durati laboribus non ſufficiunt, labaſcere facile potuiſſet. Quoties Caroli Quinti Romanorum Imperatoris, & Franciſci Gallorum Regis ingentes animos, ira, atque odio inflammatos, conſiliis ſuis reſtinxit? Quoties cum utrinque exercitus fere inſtructi eſſent, ſe ipſe medium intulit, & reuerentia maieſtatis diremit infeſtas acies? Quoties quaſi è manibus ferrum extorſit? Quæ tempeſtas Dii immortales? quæ flamma? quæ uaſtitas? quæ peſtis Italiæ fuiſſet, niſi is incredibili ſapientia, & diuina uirtute ſua illorum conatibus interceſſiſſet? Quot millia mortalium? quot myriades adhuc uiuunt, qui niſi Diuus Paulus Tertius Regum illorum iras, quaſi leonum ar dentium compreſſiſſet, haud dubie abſumpti bello iacerent? Quot caſtella ferro, & igne funditus conciſiſſent? Quot ciuitates direptæ eſſent? Et quamuis nubes illas, quæ terrarum orbi tempeſtatibus, procellísq; grauidæ impẽdebant, nõ potuerit uſq; adeo coercere, quin modicas denique guttas dederint, multos certe annos cohibuit: eás que à noſtris finibus ad extremum ita auertit, ùt Italia, in quam ad finiendas lites, ueluti in communem arenam, ex omni Europa concurrebatur,

concurrebatur: iam nonum annum uirtute eius quieſcat, & fragorem armorum uix audierit ex longinquo, arma non ſenſerit. Quantum itaque hoc nomine, huic optimo, ac ſanctiſſimo uiro debere Chriſtianum orbem dicemus, cum eius unius opera omnes clades, omnes calamitates, quibus ardente bello afflictus eſſet, effugit? Reſpicite, obſecro, retro Ciues, ac memoria quantum, quantum poteſtis, repetite exacta tempora: & quid malorum ante hunc Pontificem, non modo Italia ſenſerit, ſed uniuerſa Europa: & item quanta pace, quanta iuſtitia, ſub hoc uixerimus, conſyderate: & tum denique quantum princeps principi præſtet, intelligetis. Quòd ſi fortuna chriſtianis hominibus adeo arriſiſſet, ut maxima illa dignitate, tum uir iſte ſapientiſſimus eſſet ornatus, cum primum & uirtute, & fortaſſe etiam ætate, par ad eam ſuſtinendam eſſe incepit. Quo tempore, Chriſtianorum principum animi teneri, & non tot mutuis iniuriis exulcerati, faciles huic ad fingendos, pacis que deſyderio imbuendos fuiſſent: ad quod hodie ob inueterata odia ſunt difficillimi. Profecto non tot modis afflicti ipſi eſſemus: non tam ociose Chriſti hoſtibus per nos agere licuiſſet. Nam quemadmodum ſimulatq; renuntiatus eſt Pontifex, Cæſarem ad traiiciendum in Africam exercitum, & claſſem, quantam poſt bella punica, nunquam tulerant ea maria, conſilio, & authoritate induxit: quo bello Ariadenus

Aenobarbus maximus ille archipirata, & hoſtis perpe tuus, infeſtiſſimúſque nominis Chriſtiani Tunete clariſſimo, ac regio in ora libyci maris oppido, nec non arce firmiſſima (Guletam dicunt) ui pulſus eſt, & maria omnia, quibus Italia, Gallia, & Hiſpaniæ alluuntur, quorum ante nullus ſinus, nullus omnino portus ſecurus erat, nemo nauigabat, qui non ſe mortis, aut ſeruitutis periculo committeret, ſaltem in annos aliquot liberatā. Ita Gallos, Britannos, Luſitanos, Venetos, & Chriſtianos denique omnes, nedum Cæſarem, quíque Cæſaris partes ſequuntur, ad pia arma capienda contra Tyrannum immaniſſimum induxiſſet. Atque ita non iam omni Pannonia excluſi prope eſſemus, non Rhodum, & tot clariſſimas Aegei maris inſulas amiſiſſemus: non tot Græciæ ciuitates, quæ nunquam adhuc crudele Turcarum iugum ſubierant, ſeruitute miſerrima premerentur. Non Italiæ, & reliquo chriſtiano orbi hoſtis ſuperbiſſimus hiantibus faucibus immineret. Quot damna, quot incredibiles calamitates pertulit ab illo tempore populus chriſtianus? Quas, ſi obtinuiſſet tum Paulus Tertius Pontificatum, quem hiſce artibus, & tanta innocentia geſturus erat, profecto nunquam ſenſiſſet. Non Gallia toties omnē ſuam fere nobilitatem modo ferro, modo morbo extinctam, tot exercitus uix nuntio cladis ſuperſtite ad internitionem ferme delectos, & maximum ſuum Regem trans Iberum ca-

ptiuum

ptiuum ductum uidiſſet. Germania uero, atque Hiſpaniæ, quæ tametſi fortuna minus iniqua ſunt uſæ, nihil eſt tamen, quòd uehementer Gallis inſultent, non ſenſiſſent quotidie ſe nouis delectibus exhauriri: ut noui exercitus, nouá que ſupplementa non reditura, in Italiam, perinde atque ad inferos mitterentur. Non Italia tot millia uirorum fortium crudeliter trucidari, innumerabiles honeſtas fœminas è propinquorum complexu ad ſtuprum rapi, uberes agros uaſtari, uillas, & caſtella incendi, ciuitates capi, ac diripi, ui Martis diuina, atque humana miſceri, trahi, confundi, ac generali prope uaſtitate ſterni omnia inſpexiſſet. Non labem illam, ac perpetuam chriſtianæ Reipublicæ ignominiam tuliſſemus. Cum urbs Roma inter Scipionum, Marií que reliquias, ab Hiſpanis, Germanís que, de quorum maioribus illi toties triumphauerant, miſerandum in modum oppreſſa, direpta, ferro, & igne afflicta fuit. Cum Chriſti Vicarius inſpectantibus omnibus chriſtianis, miſere in cuſtodia habitus fuit. Non in Dei Eccleſiam dirum uenenum iniectum eſſet. Nec tot errores, tot monſtra patrum uirtute iam olim confecta, hoc tempore in ſanctam matrem rediuiua cruentos dentes intenderent. Nec Germania pugnãtibus doctorum ſuorum ſententiis in tot, atque tam uarias opiniones diſtracta eſſet. Quæ cum nulla in re iam quid ſibi credẽdum ſit, certo ſciat, nequit euaſiſſe ſe perditam errorum

omnium officinam inficiari. Videat hæc Deus ipſe ſummus, & immortalis, cui omnes ſtamus, aut cadimus: quí q; omnes nullo negotio ſiſtere poteſt, & cõfirmare. Ipſum enim modo appello, atque obteſtor, uti errantium cordibus illuceſcens, diſcuſſis tenebris, ueritatis ſuæ ſolem reducat. Quod quidem aut nullo unq̃, aut certe hoc ipſo tempore Ciues, ſperandum eſt: cum ſapientiſſimum, eundém que commiſſarum ouium amantiſſimum paſtorem hunc obtinemus. Clementem enim Septimum (quẽ honoris gratia nomino) uulgo iactatum eſt (ſed per calumniam forte, ut reor) ſemper concilium detrectaſſe. Quo fiebat, ut id iudicium, quod (ſi modo quæ ferebantur, uana non erant) ille priuatas ob rationes haud dubie effugiebat, nõ nulli rudes errorum noſtrorum conſcientia, declinari ab eo exiſtimarent. At Paulus III. fretus cauſæ noſtræ iuſtitia, & ueritate, ſuarúm que fiducia uirtutum, adeo lucem nõ reformidat, ut omnem ſemper ſpõte ſua operam dederit, quo expetitus ille doctorum hominum conuẽtus, & Reipublicæ principum haberetur. Quoties concilium iam indixit? Quoties Legatos eius rei maturãdæ cauſa creauit? Quoties ſe etiam cum opus eſſet, præſto futurum obtulit? Et quàm ex animo doluerit, iam tot annos non potuiſſe illud haberi, nouo hoc itinere eam ob rationẽ inito eſt manifeſtum. Cur enim non doleret? cur non maxime cuperet illud coire? Scilicet uerẽdum fuerat, ne ſuæ uitæ

ratio

ratio quàm quæ unq̃ innocentiſſima, ſatis concilio probaretur? in qua (ſi modo oculis nõ liuidis inſpicia tur) nec momus ipſe quid reprehendat, ſit inuẽturus? Aut forte ignoratione literarum non liquebat ei ſatis de cauſa, nolebátq; euentui incerto tanti iudicii eam committere? At enim uir omnium quot ſunt, fue= runt, erunt, ſapiẽtiſſimus, & cauſam, & rationes, qui= bus cauſa innititur: & item argumenta, & machinas, quibus aduerſarii bonos nequicq̃ hactenus oppugna runt, penitus nouit. Nec modo quæ illi afferũt, fuiſſe à patribus iam pridem deuicta, atq; proſtrata, uerum etiã & quibus patres armis deuicerint, & quibus uin= cere de integro ipſi poſſimus, optime pro diuina pru dentia, ac ſapientia ſua intelligit. Aut forte timẽdum fuerat, ne bona cauſa uirorum, qui illam ſtrenue dice rent, inopia periclitaretur? At enim quis Pontificum unq̃, poſt hominum memoriam, magis omni diui= narum, humanarúm q; ſciẽtiarum genere uiris erudi tiſſimis abundauit? Nimirũ quòd hic præ cæteris om nibus poſt natos homines ſummo ſtudio illos ſemper complexus, & maximis, & altiſſimis præmiis auxerit, & honeſtauerit. Nam neq; apud Ptolomæum, neq; Auguſtũ, aut quẽuis alium hiſce ſtudiis ulla ætate ami cum principẽ in tanto honore, quãto apud Paulum III. Pont. Max. doctos uiros fuiſſe cenſeo: qui ſem per ſimul, atq; uiuidum aliquod ingeniũ deditũ lite= ris ubiuis gentiũ eſſe accepit, ſingularibus donis ultro

eſt proſecutus, & commeatu honeſtiſſimo ſuſtenta-uit. Non fingo hæc Ciues, quin poſſim ea (ſi uelim) externis documentis plurimis confirmare. Sed, quoniam ſi quæcunque in exteros eam ob cauſam ſtatuerit liberaliter, recenſerem, prolixior eſſet oratio: domeſticis tantum, quæ que non minus ueſtrum cuilibet, quàm mihi ipſi ſunt perſpecta, exemplis utar. Teſtis eſt in hac ciuitate Franciſcus, cui cognomentum Platonis ex uirtute ipſa acceſſit, iuuenis præter non uulgarem latinæ, ac græce linguæ peritiam, naturalium, & ſacrarum rerum ſciẽtia, medicis (quod ipſi ſcitis) & mathematicis artibus eruditus. Huic ipſe alioqui ſibi incognito, commẽdatione Gaſparis Contareni Card. ne præſtans ingenium rei domeſticæ anguſtia opprimeretur, olim ſingulis annis H S M. C C. hoc uero anno M. M. M. D. C. pendi conſtituit. Teſtes ſunt omnes filii ueſtri Ciues, omnes urbis huius adoleſcentes, qui ſeſe ad ſtudia literarum applicuerunt, applicabúnt que uſq; per omne æuum. Quibus ut maiore alacritate nauarẽt operam, quotannis H S amplius M M M M. D. C C C. inter eos ſimul, ac doctores euaſerint diſtribuendos, indulſit. Teſtes deniq; omnes iuriſconſulti, & omnes medici: quorũ annua ſtipendia in omnes ætates futuras, H S quatuor millibus aucta uoluit. Cuiuſmodi dona Ciues ante hunc, nullius Pontificis in hoc literatorum gymnaſium meminiſtis. Quemcunque uero perfe-

ctum,

ctum, & abſolutum doctrina, ac ſapientia eſſe intelligit: ex omnibus terrarum oris ad ſeſe arceſſit, in familiaritatem ſuam admittit, cenſibus explet, & honoribus aliis quidem alios, ſed ſpe maioribus omnes ornat: nonnullos uero ſupremis illis, quibus uix maius aliquid animo, ac deſyderio capere mortales homines poſſunt. Quo factum eſt, ut nulla ætate unquam perdiſcendis linguis, & uniuerſis pulcherrimis artibus, ac ſcientiis cognoſcendis, tam anxie data opera fuerit, quàm hac noſtra. Quamobrem neſcio, utro nomine magis ei debeant bonæ literæ, an quòd ipſe earum cultor egregius ſemper extiterit, an uero quòd ſummis honoribus eos afficiendo, qui ad colendas illas animum appuliſſent, effecerit, ut eæ hoc noſtrò tempore, antiquum nitorem, & antiquum plane honorem recuperarint. Neque etiam ſatis ſcio, magiſne ei debeat orbis terrarum, quòd eius opera uiris doctiſſimis, præ omnibus ſuperioribus ſæculis, hoc noſtro ornatus eſt: an uero, quòd per eundẽ tanta iuſtitia, ocio, pace, iam tot annos (præter omnium ſpem, atq; expectationem hominum) utitur. Nemo enim ex grauiſſimis odiis, ac ſimultatibus, quibus inter ſe Chriſtiani Principes diſſidebant, non futurum, ut hiſce annis cuncta bello arderẽt, augurabatur. Verum enimuero magis q̃ hoc, aut illo nomine debere dixerim, quod Auguſtum, & ſacroſanctum patrum collegium multis ob ſummam omnium rerum ſcien-

tiam, ſummam ſapientiam, uitæ ſpectatiſſimam ſanctimoniam, & innumerabiles alias uirtutes, inſignibus, ac diuinis pene uiris ſuppleuerit. In quorum delectu eam liquet eſſe habitam rationem, ut quicquid ubiuis gentium perfectum, aut natura ipſa tuliſſet, aut ars, & induſtria conſumaſſet, id ex omnibus terris, in ampliſſimum eum ordinem cogeretur. Quo factum eſt, ut Sacroſanctus ille Senatus non tam ex hominibus, quàm ex purioribus illis mentibus, quas græci philoſophi νοῦς appellarunt, & cœleſtibus ſpiritibus conſtare uideri poſſit. O diuinam, & immortalem Diui Pauli Tertii laudem. Non modo optimum, ac ſapientiſſimum principem ipſum fuiſſe, ſed etiam, ut poſt eum futuri ſint optimi, & ſapientiſſimi principes effeciſſe? Quem igitur proſperum rerum ſtatum, terrarum orbis omnium ſummorum Pontificum bonitate in poſterũ obtinebit, huic uni, quaſi ſuæ ſementis fructum, acceptum referet. Atque hoc nomine non una, aut altera tantum, ſed omnibus futuris ætatibus ei debebit. Nanque ut Paulus, non ipſe tantummodo fuit nobis bonus, & ſapiens, ſed ex ſapientia, & bonitate ſua, elegit optimos, & ſapientiſſimos Cardinales, eadem ratione, qui eorum ad ſupremum illum horrorem pontificatus, aliquando eue&ti fuerint, non ſolum in adminiſtranda Republica, ſed etiam in optimis, ac ſapientiſſimis ſucceſſoribus eligendis, ſapientia, ac bonitate ſua utentur.

Atque ita res chriſtiana unius Diui Pauli Tertii ope=ra, ac uirtute, illam beatitudinem conſequetur, quam nequicquam temporibus ſuis deſyderans, de que his noſtris forte uaticinatus, habituras Reſpublicas Plato dicebat. Cum aut ſapientes regnaſſent, aut Reges ſa=pientiæ ſtudiis ſe dedidiſſent. id que idcirco contin=get Ciues, quòd Paulo Tertio Petri ſolium obtinen=te, maximæ dignitates non fuere nobiles merces, in=genti pretio coemendæ, ſed ampliſſima præmia, ſin=gulariſſimæ, ac diuinæ plane uirtutis. Neque enim pauciores propemodum extitere, quibus ob ſpecta=tam probitatem, ipſis non petentibus, nec forte etiam magnopere deſyderantibus, ultro oblatæ ſunt, quàm hi, qui cum digniſſimi illis eſſent, uiſi ſunt honeſtis rationibus interdum eas ambire. Agite iam, quanta ex bonis principibus ſit utilitas, animaduertite: Quando non modo bonitate ſua gentibus proſunt, ſed eadem, ut ſucceſſores eorum etiam optimi ſint, efficiunt. Quemadmodum praui non ſua ſolum ma litia ſubiectis obſunt, ſed etiam ſunt in cauſa, ut ne=farii, ac ſcelerati homines, poſt ipſos imperio potian=tur. Hactenus Ciues, quot commoda ex ſumma Di ui Pauli Tertii Pontificis bonitate, increbili, ac di=uina uirtute, ſenſerimus omnes mortales, quæ que ipſe in communẽ omnium gentium utilitatem geſ=ſerit, diximus. Quanquam quòd tenui mea fortu=na humi preſſus, nequiuerim quæcunque præclare,

& egregie acta ab illo ſunt, ſatis cognoſcere: cenſeo eorum me partem maximam prætermiſiſſe. Nunc uero qualem ſe in eos præſtiterit, qui abſolute ſuæ ditionis eſſent, conſyderemus. Recordor Ciues, me uſque ab incunabulis ſemper audiſſe, à nullo Rege, à nulla Republica, liberalius habitas, quàm ab Romanæ Eccleſiæ Principibus, uectigales prouincias unq̃ fuiſſe. Et quòd niſi duæ eſſent peſtes, quibus omnia fere ditionis eorum oppida laborarent, ſub eo imperio ætas beate adeo degeretur, ut nec illis, qui ſuis legibus uiuerent, nec qui aliis imperarent, eſſet his magnopere inuidendum. Eas uero eſſe tyrannidem, & partium ſtudia. Nec ab re erant eæ querelæ. Nam duo illa mala ſunt quidem(mea ſentẽtia)adeo exitialia ciuitatibus, & funeſta, ut cenſeam nullam urbem, licet alioqui bonis omnibus refertam cumulatiſſime, dum illis laborat, poſſe eſſe niſi miſerrimam. Vóſq; præ cæteris, id optime noſtis Ciues, qui ob duas illas labes innumerabiles in hac urbe ſeditiones, innumerabilia funera, latrocinia, rapinas, incendia, & innumerabiles id genus alias calamitates uidiſtis. Eas uero ut nonnulli Pontifices Maximi ab hinc quinquaginta annos comprimere adnixi ſint, & profecerint certe aliquid, tollere tamen funditus nequiuerunt. Is autem (ut compendio dicam, miſſum faciens, qua ratione ſingula egerit, neque enim texo hiſtoriam)prorſus eas reuellit. Quamobrem nullam eſſe amplius ur

bem, nullum oppidum extare cenſeo: quod ſe præ-
terea aut à tyranno aliquo uexari, aut ullis factioni-
bus diſtrahi, ac diſiungi, conqueri poſſit. Diuus enim
Paulus Tertius, quod plærique alii non ſolum eſſe fa
ctu difficile, ſed nulla plane ratione à ſe effici poſſe,
ſenſerāt, ſingulari quadam, & diuina uirtute ſua eam
multorum capitum hydram, uulneratam quidē ante
à multis, à nemine uero extinctam, confecit: & nos
penitus liberauit. Quòd ſi Theſeus, & Hercules, ob
perpetuas cum tyrānis exercitas inimicitias, tantum
gloriæ ſunt conſecuti, ut alteri eorum templa per om
nes terras extructa fuerint, facta ſacrificia, & reliqui di
uini honores habiti (neque enim uelim uos credere
monſtra illa Procruſtem, Scironem, Cacum, Diome
dem, Antæum, Geryona, aliud fuiſſe, quàm tyran-
nos importuniſſimos, quos tanquam exitiales huma-
no generi, monſtra uiri ſapiētiſſimi appellauere) Quas
laudes, quas gratias, quos honores dignos meritis
huius noſtri liberatoris poterimus excogitare? Prô
Dii immortales, tantám ne huius hominis incredibi-
lis, ac diuina uirtus, lucem uniuerſæ Italiæ afferre po-
tuit, ut cuius ciuitatum, alias perpetuis bellis uexatas,
alias ciuilibus odiis afflictas, alias tyrannide oppreſſas,
iam tot annos, tot ſæcula uideramus, eam nunc uni-
uerſam in ſumma tranquillitate quieſcentem, per Di
uum Paulum Tertium Pontificem Maximum ui-
deamus. Qui illis bello, his tyrannide liberatis, ſubla

tis diſcordiis ciuilibus, cōpoſitis fraternis odiis, iris q;, fuſis, fugatis q; partium, ac factionum ſtudiis, abacta iniuſtitia, pacem, ocium, ius, fás que, ac bona omnia quaſi de cœlo nobis reuexit. Duo illa igitur, quibus (ut redeam ad inſtitutū) ciuitates Ro. Pontifici ſubiectæ ad earum felicitatem carere omnium iudicio uidebantur, Diui Pauli Tertii opera ſunt conſecutæ. In plæriſq; præterea illarū, uti Anconæ, Aſculi, Nepete, Caſtri, & in noſtra hac ſumptuoſiſſimas arces poſuit. Quas neſcias magnificentiorés ne dicas, an firmiores: ſed in quibus ex magnificētia ſplendorem, ac magnitudinem animi eius teſtatam quidem ſæpe aliâs, cum in rebus omnibus, tum maxime in his, quæ excelſe, & magnifice ædificauit: ex firmitate, quantum Reipublicæ imperio, quantum ciuitatum illarum ſaluti, ac ſecuritati conſultum eſſe uoluerit, poſſis agnoſcere. Quarum ocii, pacis, tranquillitatis, ſunt eæ arces certiſſima propugnacula nō modo exterorum hoſtiū inſidiis, & apertis inſultibus, ſed ciuium ſeditioſorum, & tyrannidem affectantium, turbulentis conatibus oppoſita, atq; obiecta. Quin etiam ſunt in quibus non minus ſumptuum fecit, nec minus eſt laboratum, quàm ſi denuo à fundamētis ædificaſſet. Huiuſmodi eſt Placentia, quam perpetuo, & ad omnes omnium bellicarum machinarum, tormentorúm que ictus firmiſſimo muro cinxit. His itaque rebus geſtis, quis eſt, qui nō eum omnibus ſummis Pontificibus, qui

poſt

poſt Petrum in Chriſti ſolio inſederũt, præferre (quid enim dicam æquare) audeat? Atque hæc parua ſunt, cognoſcite reliqua, ut non aliquando laudari eum à me, & ab omnibus uiris bonis effuſius, ſed hos parietes, quibus cingimur, & hæc ſaxa de eius laudibus cõticeſcere admiremini. Cæteri enim Pontifices, quos aut ipſi uidimus, aut de quorum moribus, & uitæ ratione à maioribus noſtris accepimus, Romæ fere deſidentes, quæ à ſubiectis populis agerentur, nõ niſi per miniſtrorũ literas cognoſcebant. Quamobrem in prouinciis partim inſcitia, partim etiam fraude, & malitia magiſtratuum, multa temere, interdum aliqua auare, & quædam forte crudeliter agebantur. Quibus obuiam quod aut nunq̃, aut certe ſero ea reſcirent, per principes iri nõ poterat. Quàm multi tum in omnibus locis (quòd proficiſci præ uiatici inopia Romam nequirent) longe abſentis, & minime exaudiẽtis Pontificis nequicq̃ auxilium implorãtes, nemine ferente opem opprimebantur? Quàm multa grauiſſima incõmoda ſæpe ob principum abſentiam tulerunt omnes prouinciæ, quibus ipſi præſentes nullo negocio eas leuaſſent. At Diuus Paulus III. memor ſe à Deo maximum Epiſcopum conſtitutum, quæ uox græca ſpeculantem, ac uiſitantẽ ſonat, ut fideliter munus commiſſum expleat, ſingulas ciuitates, & ſingula propemodum caſtella, ſingulos uicos ſemel, & cum uſus poſtulat, iterum, ſæpiús que uiſens, nunquam reſiſtit. Quo fit, ut ad eum ſuprema illa, atque cœleſtis

dignitas, non honoris plus attuliſſe, quàm laborum, & oneris uideatur. Atque ita quod cuique opus ſit, per ſe audiens, luſtrans, ac rimans omnia, & quæ ma la, quibus remediis egeant, oculis ſuis credens, miſeris opitulatur, iacentes ſubleuat, audaces comprimit, ne= farios abigit, bonos remunerat, & omnia pro diuina ſua prouidentia diſponit, & moderatur. Mirabimini nũc Ciues tanto ocio, quiete, pace, iuſtitia (præter id, quod ſuperioribus ætatibus conſueuerat) hoc tempo= ris Eccleſiæ Romanæ populós perfrui? Cum uirum hunc diuinum, quo ea regitur charitate in nos, ſapi= entia, uirtute, labore, cæteris ſummis ætatum omni= um pontificibus uideatis tantum excellere? Ego ue= ro illud magis mirabor, qui fiat, ut ſex, & ſeptuagin= ta annos iam natum corpus, tot itineribus, tot labo= ribus, adeo non deficiat, ut magis, magís que in dies uires acquirere, in iuuentutem referri, & reuireſcere benignitate Dei in nos inſigni, & incredibili uidea= tur? Niſi dicamus ex ſummo illo deſyderio, quo pro deſſe cunctis mortalibus, præſertim uero his, qui ſuæ ditionis ſunt, cõcupiſcit, plus uiriũ ei accedere, quàm ætate detrahi poſſit. Quo fit, ut licet perpetuis eius iti neribus, plæriqꝫ alioqui robuſti iuuenes defatigentur, & labaſcant interdum: ipſi iam annis graui quotidie corporis uires, & uigor animi laboribus creſcere ui= deantur. Nunc operæprecium eſt, cuiuſmodi in ſuos gentiles fuerit, conſyderare, Nec mihi uideor futurus

mendax,

mendax, aut rem ingratam illis facturus, ſi, quæ pro Republica aut moderate, aut fortiter, aut ſapiēter egerint, perinde atque ab uno hoc deriuata, commemorauero. Quippe cuius uirtus eximia, & incredibilis, fuit illis non modo exempli uice, quod ſemper imitarentur, ſed normæ, regulæ, ac præſcriptionis, à qua ne modicum quidem liceret ſine ſcelere declinare. Mementote, obſecro, uos, qui ætate eſtis prouectiores, tempora Alexandri Sexti: qui licet maximi animi, & fortiſſimus Pontifex fuerit, multáque eius extent merita eximia in Rempublicam, eorúmque illud præcipuum, quòd hunc talem Pontificem futurum, in Purpuratorum patrum collegium cooptauit: creditur tamen, charitate ſuorum uictus, Cæſari Borgiæ filio iuueni feroci, impigro, & militaribus laudibus clariſſimo, multa indulgētius permiſiſſe. Quam obrem ille non exiguam Italiæ partem armis aggreſſus eſt. Et quamuis quæcunq; geſſerit, in maximam rei Romanæ utilitatem ceſſerint ad extremum, ſunt tamen qui arbitrentur illum nō niſi comparandi ſibi regni cupiditate, ea feciſſe. Et niſi præpropero parentis obitu ipſum fortuna deſtituiſſet, fuiſſe ad ſe magnam partem Reipublicæ translaturum. Nunc contra Diui Pauli Tertii moderationem, & Petri Aloiſii Farneſii in ea re abſtinentiam, & manſuetudinem conſyderate. Qui licet (ut alia omittamus) pontificiorum exercituum imperator, in præalto dignitatis gra

du, & fere ſupra leges ſit conſtitutus, legibus tamen ultro ſe ſubijcit, legibus uiuit, & deſydenum ab alienis abſtinens, nedum manum, nullos tumultus ciet, nemini infert iniuſta arma, & omnes eiuſmodi impotentes conatus auerſatur, & exhorreſcit. id que eſt eo etiam magis mirificum, quòd cum ita fere natura ſit comparatum, ut proſperis ſucceſſibus animi creſcant, cupidinés que minum in modum augeantur: is, quem uidimus ſiue contra noſtrates illos, & alios, qui á Romana Eccleſia defeciſſent, ſiue contra Aſcanium Columnam, ſiue contra Vrbinatum Ducem mouiſſet arma, cum ob perpetuam Farneſii nominis fortunam, tum ob inſignes imperatorias eius uirtutes nunquam non feliciſſime rem geſſiſſe: oſtendit ſe etiam aduerſus inſolentiam, quæ ex proſperis rebus naſcitur: & cui plærique maximi Imperatores nõ reſtiterunt, inuictum animum gerere. Meminiſtis, opinor, etiam quoſdam non obſcuri nominis Cardinales, quorum, licet ob immortalem ſuam illam liberalitatem, ne poſteritas quidem omnium ſæculorum immemor eſſe poſſit, ii tamen uiſi ſunt clariſſimæ illi uirtuti ſuæ (neſcio quomodo) offundere magnas tenebras, dum per ætatis lubricum in libertatem quandam (ne in licentiam dicam) minus moderatam, & uiris, qui Dei Eccleſiæ principes eſſent, forte indignam, ferri ſe paſſi ſunt. Domus eorum militaribus uiris, ſtipatoribus, & ſicariis refertæ erant, & maxima

per

per illos Pontificibus eorum temporum conniuentibus, & Romæ, & multis in locis, præſertim uero in hac regione, quam legati obtinuerũt, erat impunitas: & hæc ciuitas, quæ inde infinitas calamitates ſenſit, infinita latrocinia, infinitas ſuorum ciuium cædes, ſeruabit eorum triſtium temporum ueſtigium ſempiternum. Nunc contra Alexandri Farneſii, & Guidonis Aſcanii Sfortiæ Card. maximorum prudentiam, & modeſtiam quæſo reſpicite: quibus etſi ob ſummam aui in ſe charitatẽ, licere omnia uideantur, & ea ætate ſint, cui condonari etiam tacitis hominũ iudiciis multa facile poſſent: nihil tamen eorum ſibi permittunt, neque ſe uanis ullis, neq; adeo iuuenilibus ſtudiis admodum occupant: at moderandis rebus mortalium, & regendo imperiis terrarum orbi, iunctis cum magno auo conſiliis, unâ intendunt. Atque ita ineunte adoleſcẽtia, cœleſtium clauium oneri aſſueſcentes, ſuſtinere diſcunt ſub monitoris multo ſapientiſſimi, & amãtiſſimi diſciplina Pontificatum. Et ſane perquàm prudenter, utpote quem ſi modo fatorum ordo ſibi conſtabit, ſi cœleſtes orbes ſui curſus tenorẽ uſq; ſeruabunt, geſturi ſunt aliquãdo per ſe ipſos. Vix enim uidetur fieri poſſe, ut qui in uirtutem, ſapientiam, dignitates, opes, titulos, fortunam, & alter etiam in nomen, prænomẽn q; auo maximo ſucceſſerunt: nõ ẽt in ipſum pontificatũ, qui reliquus eſt, ſuccedant. quẽ ſi modo ii ſperare debent, qui uirtute cæteris antecel-

lunt, quí que plurimum pro Republica laborarunt, duobus his, quàm quibuſuis unquam crediderim, iure optimo expectãdum. Ea enim ætate, cui ioci po tius uidebantur, quàm ſeria, & curæ grauiſſimæ con uenire, legentes aui ueſtigia, ut cæteris hominibus pla cida ſint omnia, & quieta, non conquieſcunt: & præ ter audiendi, ac reſpondẽdi his, qui illorum ope egen tes, ab extremis quibuſque gentibus ad eos conflu= unt, & multa ſemper pro ſalute omnium cogitandi, ac moliẽdi quotidianos fere labores, Alexander ut ma ximorum Regum diſcordiis modum imponeret, du plici legatione, periculis omnibus, quæ multa ſunt, paſſim obuia iter facientibus, caput obiectans, in Gal liam, & in Hiſpaniam citatis equis tranſmiſit: & Sfor tia Bononienſem prouinciam prima adoleſcentia ita Legatus geſſit, ut nihil uerendum ſit, nequis audeat dicere ullius Bononiæ magiſtratum, aut gratiorem, aut clariorem unquam fuiſſe. Et nunc, dum idem ille Alexander grauiſſimæ imperii ſarcinæ, qua ueluti nouus Atlas, Diuus Paulus III. premitur, ſupponit humeros, Sfortia quæſtoribus cunctis præfectus, alte ram Reipublicæ partẽ, quæ ad ærarium, & tributa ſpe ctat, complectitur. Atque ita uaſtiſſimæ curarum mo li hinc, atque hinc ſuccedentes pii nepotes, parte one ris optimum auum leuant. Sed quid ego labores il= lorum iuuenum miror? Pontifici certum eſt, quem= admodum pro Republica, quemadmodum pro om=

nium

nium gentium ſalute, ac commodo, ipſe nunquam non laboribus obuiam iuit, ut ſui itidẽ ſemper eant. Spectate (obſecro) Octauium Farneſium Vrbis præfectum, Camertum Ducem, quem ille uix dum pubertatis annos ingreſſum, ut ſub maximo præmonſtratore obiicere ſe periculis, & bella gerere nobis diſceret, è ludo, atque è pueritiæ diſciplinæ ad Carolum Quintum Romanorum Imperatorem ſocerum eius miſit. Nec ita multo ante, cum ut mare noſtrum prædonibus liberaret, & uniuerſa Libya barbaros Chriſti hoſtes exigeret, unâ cum illo in Africam traieciſſet, uiolentiſſima tempeſtate pene eſt obrutus. Neque etiam Horatii tertii nepotis infirma ætas, inter iocos, & blandas delitias innutritur. Quin, ut pueritiæ rudimenta ſub diſciplina multo maximi uiri caperet, procul à parentum complexibus actus in Galliam, ab latere Franciſci eius nominis primi Gallorum Regis, nunquam diſcedit. Non iniuſta imperia itaque, non licentiam, uoluptates, non denique ocium, & quietẽ uult Pontifex ex fortuna ſua ſuos lucrari, ſed opus, ſed labores, ſolicitudines, curas, & honeſtiſſimos pro ſalute Chriſtiani orbis ſudores. Quamobrem me olim ſæpe mecum recogitantem, qualem, quantúmque eſſe Dei Vicarium oporteret: cuius nutui cœlum obſequeretur: qui animas noxias ligaret, puniendáſque Orco dimitteret, ſolueret pias, eaſdémque cœlis locaret: quem legitima ditione ter-

ras, ac maria tenentem, ab omnibus magnis regibus adorari, ac dici dominum oporteret. Sentio me non potuiſſe talem illum, tantúm que tacitis cogitationibus unquam fingere, quin ſe is noſter cum ob ea, quæ dicta ſunt, tum ob alia, quæ nunquam ſando conſequerer, præſtantiorem multo præſtiterit. In aliis enim ſummis Pontificibus, etſi maximi fuerunt, & laudibus multis digniſſimi, eſt tamen, ut in hominibus, ſemper aliquid deſyderatum. Non nulli enim interdum indulgẽtiores (ut dicebam) in ſuos: alii bellicoſiores, quàm ſacrorum Principibus conueniret: quidam uero molliores, & aliquantulum uoluptuarii uiſi ſunt. Nec defuere, qui expertes, & rerum fere inſcii apparuerint, aut qui aliis notis indignioribus laborauerint. Solus hic eſt, cuius uirtutum ſplendor, cuius laudes clariſſimæ nullis maculis obſoleſcunt. Suos enim, ut paulo ante ex me audiſtis, non magis in potentiæ, & imperii, quàm in curarum, laborúm que partem admiſit: & ita habet, ut nemo eorum ſibi, ſed hominum ſocietati, communitatí que, & Rei publicæ, omnes uiuere uideantur: alii quidem ſub armis, ut uiolentiſſimos, ſuperbos, inſenſós que humano generi tyrannos opprimant, & dignitatem Romanæ Eccleſiæ tueantur: alii ſub toga, ut rebus mortalium recte conſultum ſit, laborantes. Cultor pacis eſt tam egregius (ut dicebam) quàm Chriſti Vicarium

decet.

decet, quàm q; ex ipſius uita, ac ſtudiis aperte liquet. Nihil enim æque molitur, æque laborat, atque ut rebus tandem compoſitis, commiſſus grex conquieſcat. Et quamuis bella ſuapte natura uir ſanctiſſimus execretur, cum tamen retundendis contumacibus tyrannis his, qui regno perperam uterentur, aliena per iniuriam tenerent, aut maieſtatem pontificii nominis uiolarēt, arma capere coactus eſt, acerrime rem gerens, oſtendit ſe non minus ea gloria, quàm pacis artibus futurum, ſi placuiſſent bella, præſtantem. Quia enim nunquam, niſi iuſta, piá que arma induit, bellorum omnium, quæ ipſe ſuſcepit, exitus, ſecundum ius, fás que, Dii dedere. Quamobrem qui hoſtes aliis Pontificibus formidabiles prope fuerant, huius non fragorem armorum, non ſplendorem quidem ipſum tulerunt: quin ſimulatque uidere eminus ſigna uictricia, ſimulatque Diui Pauli Tertii, & Petri Aloiſii Farneſii fortunatiſſimi, & inuictiſſimi, pontificiarum legionum Imperatoris, auſpiciis, & ductu cuius, bella omnia geſta ſunt feliciſſima, & auguſta nomina audiuere, excuſſa omni audacia, inſolenti quodam timore, quaſi de cœlo perculſi, atque abiecti, uel ne tentata quidem alea Martis fecere deditionem: uel ſtatim nullo negocio ſuperati, intellexere ſe nequicquam humanas uires uoluntati eius, in cuius acie tanta eſſet iuſtitia, tanta uirtus, & pro quo ipſe denique exercituum Deus pugnaret, oppoſuiſſe.

Paulus inſuper non magis corpori ſuo, quàm quantum ſuſtinendo ſatis eſſet, unquam indulſit: qua quidem abſtinẽtia factum eſt, ut cum nemo hominum fere uiuat, qui & ſi maxime ſit adoleſcens, interdum leui ſaltem morbo aliquo non perſtringat: Is annis grauis, corpore adeo ualet, ut ne minima quidẽ ægritudinis ullius nota in eo, ut ueſtigium nullum appareat. Ad hæc laboribus eſt ita deditus, ut quiuis per ditiſſimus uoluptati. Teſtantur id perpetua eius, ob humani generis utilitatem itinera. Rerum præterea omnium, ad regẽdas imperio, ac religione gentes ſpectantium. neminem hoc ipſo ſcientiorem potuiſſe eſſe, unquam crediderim: qui ſuo illo diuino ingenio iam amplius quinquaginta annos clariſſime in Republica uerſatus eſt: qui adoleſcens, geſta cum ſumma laude quæſtura, in auguſtiſſimum Cardinalium ordinem relatus eſt: qui poſt grauiſſimas legationes peractas, & adminiſtratas prouincias, ad id imperii nõ temere à fortuna euectus eſt. Sed per omnium dignitatum gradus, ducibus uirtute, ac ſapientia ſua peruenit. Cuius conſilia ſuperiores Pontifices, perinde atque oraculi cuiuſpiam reſponſa, nunquam non maxime ſunt admirati. Quis denique aliis omnibus dignis ſummo Principe ornamentis eſt cumulatior? num caret origine generoſa? quam plæriqꝫ maximi uiri deſyderarunt. Atqui ortus eſt ex Farneſia familia antiquiſſimæ nobilitatis, & imaginibus multis uiro-

rum

rum bello, & pace clariſſimorum, perquàm illuſtri. De quorum laudibus nihil ſane ad hoc tempus, quo me ſatis, ſupér q; unius uirtus fatigat. Miremini modo licet, & quid cauſæ ſit, requiratis, quòd ſub Romanæ Eccleſiæ Imperio tanto, quàm antea iuſtius, melius, beatius hac tempeſtate degatur uita: cum maniſeſte liqueat præſentem Summum Pontificem tanto ſuperiores omnibus uirtutibus anteire. Quãquam id quidem minime mirum eſt, neque enim par erat, eum non multo ſanctius aliis gerere Pontificatum, qui illum præ aliis, ſummo, & incredibili non modo patrum conſenſu, ac ſtudio, ſed totius orbis expectatione, & uoluntate adeptus eſſet. Aequitas, probitas, moderatio, diuina, incredibilís que prudentia, & reliquæ innumerabiles eius uirtutes erant uel ante quàm altiſſimum illum dignitatis gradum aſcenderet, ita illuſtres, ut tametſi aliqui patrum forte ſuas ob rationes creari alium Summum Pontificem optare poſſent: nemo tamen non ſimulatque populi chriſtiani uſum, huius uiri præſtãtiam, & merita in Rempublicam reputabat, ſtatueret unum eum digniſſimum, qui poſitis priuatis affectionibus, & omnibus poſthabitis, ad tantum honoris faſtigium ſolus eueheretur. Quamobrem cum fere ſemper ſacroſanctum, & auguſtum illud collegium in eiuſmodi comitiis, quibus maxima rerum omnium, quas mortales agunt, tranſigitur, ſuperſedere, ſuſpendere aliquandiu iudicium,

& aliquando, dum ex multis ornatiſſimis in unum quempiam, qui tantũ uirtute cæteris antecellat, quantum dignitate eſt præſtaturus, conſentiat, uariare ſententiis conſueuerit. In huius creatione fuit adeo conſentiens, adeo concors, ut neminem ex patribus inuentum confirment, neminem: qui, neq; dicam malitia, uel inuidentia (uix enim cenſeo eiuſmodi impuriores affectus in ſummis illis hominibus locum habere) ſed qui uel ſtudio inueniendi aliquem, in quo melius chriſtianæ rei conſultum foret, uel quacunq; alia ratione aut diſſentiret, aut obtrectaret, aut ullo pacto differendum eſſe ſtatueret. Quin (ut ego accepi) ſimulatque per cærimonias ſtatas, & ſacra licuit, concurſu facto ad unum omnes conſalutatũ Pontificem adorauerunt. Quo fit, ut non magis egreſſum eſſe ex conclaui illo, quàm ingreſſum eum omnino ſummum Pontificem dici poſſit. Nimirum aperta non Cardinalium modo, ſed omnium hominum uoluntate, multo ante electum, creatum, renũtiatum. Grauiſſimum me hercule teſtimonium, ſpectatata eius uirtute fuiſſe iam tum inuidiam ſuperatam: & illius ocii, pacis, quietis, qua eius opera Italia frui debebat, certiſſimum præiudicium. Quid, quòd conſtanti fama, & quæ certis authoribus non careret, tum uulgo iactatum eſt, Clemẽtem Septimum morbo grauem, & iam prope moribundum, huic cum grauiſſima, & mirifica teſtificatione uirtutum eius, perinde ac ſi iam

iam eſſet Pontifex Maximus, multis uerbis Chriſti Eccleſiam commendaſſe. Cúm que is, quæ ſua erat humanitas, & animi moderatio, dolentem conſolaretur, iuberet ſperare meliora, & quod ad eum attineret, nec poſtulare tantum, nec agnoſcere ſeſe diceret: illum bis, tér ue confirmaſſe, inſtare ſibi ſupremum diem: & ſatis ſcire, nec poſſe, nec debere alium unquam in eum locum ſuccedere. Quàm exploratam, obſecro, igitur Ciues, quàm cognitam, quàm perſpectam huius uirtutem Clementi fuiſſe credimus? quem ſe mortuo unum ex omnibus Cardinalibus, qui tum erant, ſummum Pontificem futurum uiderit, & ita uiderit, ut nullis humanis caſibus, nullis fortunæ uicibus, poſſe fieri ſecus negauerit, quem q; ipſe Pontifex Maximus, adhuc in uiuis agens, Pontificem Maximum propemodum ſalutauerit, certe quòd in ſe erat, omnium eſſe digniſſimum tanto honore teſtatus fuerit. Iam quibus uerbis incredibilem illam lætitiam, incredibilem illum plauſum conſequi potero, quo ſua Roma, Italia, & Europa deniq; uniuerſa optatiſſimum, & expectatum nuntium pontificatus eius exceperit? Quod gaudium bonorum omnium, quæ alacritas eſſet? quas uoces hilaritate ipſa expreſſas omnes omnis ætatis, & ſexus homines, quibus in locis omnibus ſanctum eſt Chriſti nomen, ad cœlum mitterent? Datum deniq; diuino munere, & ſumma Dei benignitate eum Pont. cuius incredibili

ſapientia, ſpectata bonitate, ſingulari uirtute uulnera, quæ chriſtiani orbis miſero corpori iam tot ſæcula hæſiſſent, in cicatrices obducerentur: & diutinis bellorum calamitatibus feſſis mortalibus quies obtingeret. Quocirca ſi dubium unquam fuit temeré ne, & caſu Rectores orbis terrarum, & Pontifices Maximi, an uero afflatu diuini numinis conſtituantur, noſter hic tam noua, & inaudita patrum concordia, tam admirabili bonorũ ſtudio, tanta omnium hominum, omnium ordinum uoluntate, tanto Vrbis Romæ, Italiæ, prouinciarum, & cunctarum gentium conſenſu, & plauſu creatus eſt, ut puriſſimi illius cœleſtis ſpiritus, qui hominum corda pro uoluntate ſua fingit, & format, opera factum eſſe, minime liceat ſine ſcelere dubitare. Quanq; Deus clariore, ac luculentiore oſtento teſtari uoluit, hunc Pontificẽ ſibi ſoli ab hominibus referendum eſſe acceptum. Quippe quem paulo ante, quàm ad id muneris eligeretur, è mortis, & fati faucibus (præter naturæ leges) ſua manu eripuiſſet: & ut Eccleſiæ Antiſtitem ſummum proponeret, in uita hac conſeruaſſet. Cenſeo Ciues, audiſſe uos, cui enim mortalium eſt inauditum? quòd cum Alexander Farneſius tum maximus Cardinalis, is, qui nunc Paulus Tertius Maximus Pontifex, Roma Hoſtiam (cuius erat Epiſcopus) cum Octauio nepote, & non nullis familiaribus ſecundo Tyberi ueheretur, neſcio quo caſu depreſſo lembo, in profluen-

tem

tem cum omnibus, qui ſecum eſſent unâ, cecidiſſe: & tantummodo Cardinalẽ cum paruo nepote, quem in tanto periculo ſui præ illo immemor, pius complexus fuerat, euaſiſſe. Fluuius enim inſigni, & maniſeſto prodigio, eos magno ſpatio ſuſtinuit, dum quidam olitor mala aurea uenum (ut dicunt) nauicula Romam ferens, ſiue (quemadmodum ego ſentio) Chriſtus, qui non tum primum olitoris perſonam ſibi accõmodauit, ſuperuenit: & ea ſpecie illum, forte, ut olim Petrum, quòd modicæ fidei dubitaſſet, leniter caſtigatum, admota dextra ſeruauit. Rem uere dignam, quæ inter miracula referatur, & quam omnibus futuris ſæculis poſteri admirentur, & obſtupeſcant. Nam cum naturæ legibus conueniret, ut qui graues eſſent, impediti, nec ulla natandi arte inſtructi, ſubmergerentur: ipſi ac ſi non undis liquentibus, ſed ſolida materia nixi eſſent, dum, qui laturus erat auxilium, præſto fuit, in ſublime aquis ſunt ſuſtentati. Creditis ne, ò Ciues, creditis, ea ſine diuorum numine contigiſſe? Creditis? niſi apud cœlites de duobus his cura præ aliis mortalibus ageretur, niſi Deo inſigniter chari eſſent, fuiſſe ex omnibus hominibus, id ſolis ipſis (præter naturæ conditionem) uſu uenturum? Memini me legentem multa, ſæpe animaduertiſſe, ſiue fortunam, ſiue Deum, ſiue quodcunq; dici ius, fás q; eſt, numen illud, quod ea agit, & curat, cum maiorem in modum extollere, & ho-

nore maxime raro, & ſingulari afficere aliquos uo-luit: uideri coniiciendo eos prius in grauiſſima aliqua pericula, è quibus ſe eximere ipſi nequirent: eoſdem que mox ueluti cœleſti ui, ac uirtute liberando, quaſi luſiſſe. Nimirum, ut inde genus hominum nõ modo intelligeret illos ſuperis charos eſſe, uerum etiam ut honorem ante oſtento denuntiatum, propenſa uoluntate diuini numinis, cuius mirifica ope ſeruati eſſent, delatum ad eos crederet. Atque ita illorum imperia, perinde atq; Dei imperia, iuſta, ſancta, & ſummo ſtudio excipienda ſemper exiſtimaret. Fuere uero ea pericula, ut interdum à rebus aliis, ita ab aquis multo ſæpiſſimæ. Magno Moſi, per quem Deus populum ſuum erat ab Aegyptiorum tyrannide liberaturus, id uſu uenit. Infans enim in Nilum Regis Aegypti iuſſu proiectus, regiæ filiæ forte illac iter habentis, miſericordia ſeruatus eſt. Idem Habidi Curetum Regi, qui puer in Oceanum præceps datus, leni ſalo in littus fuit expoſitus. Idem Romulo, ac Remo. Idem his noſtris contigit. Deus enim, qui eorum alteri legitimum totius orbis imperium, cœlorum claues, Italiæ à multis imminentibus cladibus liberatæ, ocii, pacis que gentibus datæ, deberi laudem ſciebat: & alterum Caroli Quinti Romanorum Imperatoris futurum generum, Camertum Ducem, urbis Præfectum, & uſque à puero ſuæ fidei, & ſui nominis propugnatorem intelligebat, & alia facturum,

quæ (ut me lateant) maxima tamen futura ſpero. Curauit, ut aqua, quæ cedere grauioribus rebus natura ſolet, ingenio commutato, illos non quaſi liquida materia, ſed tellus ſolida ſuſtineret. Quemadmodum etiam aliâs, ut charos ſibi ſeruaret, urendi uim, & naturam igni ſubduxit, uti cum tres illi celeberrimi hebræi adoleſcentes, ab Rege Aſſyriorum in ardentem fornacem coniecti ſunt. aut quando Agnes Romana uirgo, aut Polycarpus Epiſcopus accenſo rogo, impoſiti. O Tyberis, quas gratias, quos honores tibi debet hæc tellus? Tu Romulum, Remúm que Romanæ gentis authores quondam ſeruaſti. Tu noſtris hiſce temporibus antiquum beneficium renouans, & inſtaurans, teſtatus quodammodo fore, ut his non minor, quàm illis, ripæ tuæ honos accederet, hos Romuli, ac Remi nepotes maximos conſeruaſti. Octauium Farneſium, cuius adoleſcentis præter egregias corporis, atque animi dotes, auguſtum illud, & fortunatum nomen, ſpem nobis præbet, futurum, ut quæ decora tua Roma, imperante maiore Octauio, obtinebat, huius uirtute, ac felicitate, uoluentibus olim annis, recuperet: & Diuum Paulum Tertium Pontificem Maximum, qui non modo eorum hominum, quos noſtra hæc ætas tulit, aut parentum noſtrorum gloriam uidetur mihi incredibili uirtute ſua, & prudentia, ſed totius antiquitatis memoriam, ſuperaſſe.

Ego enim Ciues, ſic exiſtimo, in ſummo Principe, cuius imperium nullis terrarum finibus, non Oceano, non ſyderibus terminetur: ſed Dei ſolio tenus propemodum ſe extendat, præter iuſtitiam, & bonitatem, quas in hoc noſtro eſſe admirabiles, & ſingulares ſæpe oſtendimus, quatuor has res ineſſe oportere, ſummam erga Deum pietatem, ſummam prudentiam, ſummam authoritatem, ſummam felicitatem. Is uero ſe pium eſſe apprime, cum omni reliqua uita, tum maxime poſtquam eſt adeptus Pontificatum, ſemper oſtendit: idque non tam ingentibus illis ſumptibus, quos in Diuorum delubris mirifice extruendis, reſtituendís q; agit quotidie, & præſertim Petri in Vaticano: cuius templum ea amplitudine, quæ apoſtolorum principe, quæ Paulo Tertio authore, quæ ipſius etiam loci maieſtate ſit digna, reſtituit: quod ipſum nõ ſolum magni, atq; excelſi, ſed etiam pii admodum animi eſt indicium: quàm grauiſſimis illis laboribus, ac periculis, quibus ſe pro Chriſti grege ſeruando, nunquam non offerens, non modo Vicarium, ſed uerum, germanúm que Chriſti imitatorem eſſe clare teſtatur. Prudentia uero fit primum naturali quadam ui, ac uirtute, qua ingenioſi, acuti, atque ſollertes naſcimur: mox ſtudio bonarum artium, ac ſcientiarum, denique multarum, & diuerſarum rerum tractatione, & uſu. Quem igitur maiore prudentia, quàm Diuus Paulus Tertius fuiſſe, aut po

tuiſſe

tuiſſe eſſe unquam dicemus? Qui cœleſti, ac diuina quadam mente, & intellectu natura præditus, prima pueritia ad optimarum literarum ſtudia deductus, ſumma cum laude, & prope ſtupore omnium, in illis ſemper uerſatus eſt. Quem poſt exactæ comparatam romanæ, & græcæ linguæ ſcientiam, poſt emenſum liberalium artium orbem, poſt luſtratas omnes omnium ætatum hiſtorias, ex naturalium rerum cognitione, ad ſacrorum doctrinam gradum feciſſe, & denique diuinarum, humanarúm que ſcientiarum, & omnium pulcherrimarum artium prodiiſſe dicunt eruditiſſimum. Qui è ludo, atque pueritiæ diſciplina ſe transferens ad Rempublicam, modo ſerias, & maximas res, quæ multæ ei à Maximis Pontificibus delegabantur, gerēdo: modo legationes honorificas obeundo, modo magnas prouincias adminiſtrando, plura grauiſſima negocia ſolus confecit, quàm alii cogitatione, ac mente complexi fuerint. Qui ita ſemper ampliſſimis dignitatibus functus eſt, ut nunquam non multo maioribus digniſſimus haberetur, donec ad maximum pontificatum, honorū omnium terminum, & extremum finē peruenit. Quo neq; maius aliquid à mortalibus hominibus deſyderari fas eſt, neque omnino poteſt. id que in eo uehementer eſt admirabile, quòd cum ſeriis occupationibus, quibus feriati ab aliis ſtudiis alii homines uix ſufficiūt, ſemper maxime fuerit impeditus, tamen cum de literis ſer-

mo incidit, ita habere omnia in promptu dicitur, ita omnia meminiſſe, ut nunquam nō quibuslibet aliis curis uacuus, ſolis literis dediſſe operam uideri poſſit: ut nec intermiſiſſe illa ſtudia cum unquam iuuare audeas, nec remiſiſſe. Quis ipſo acutius ratiocinatur? Quis uberius, aut explanatius de dubiis rebus conſultat? Quis prudentius, maturiús ue deliberat? Quis melius præterita meminit? Quis præſentia, & quæ in quibuſq; terrarum oris gerantur, certius nouit? Cui exactius mores, & ingenia populorū perſpecta ſunt? Audiui ſæpe ex his, quibus familiaribus ipſe utitur, nemini priuato homini eſſe larē ſuum domeſticum, & tenuis familiæ negotia, quàm huic regnum, quæque in regno ſiue maxima, ſiue minima geruntur, cognitiora. Quis aut longius, aut certius proſpicit in futurum? qui præter illam cœleſtem, atque diuinam mentem, quam ei haudquaquam nouerca natura indidit, tot doctrinis, tot liberaliſſimis ſtudiis excultam, tantarum rerum experientia, atque uſu perfectam, ſecretorum naturæ, cœleſtium corporū, & eorum motuum arcana cognitione, ita inſtructus eſt, ut dicant eum uentura, & quæ humana ratio nulla coniectura unquam conſequi potuiſſet, aliquando inſtar numinis locutum eſſe. Quibus oſtēditur, nullam rem exiſtere in maximi principis uſu poſitam, quæ diuini hominis huius ſcientiam fugere poſſit. Nullum tam inexpectatum, tam improuiſum caſum poſſe oboriri,

riri, nullum tam graue periculum imminere, quod ipſe, ne accidat, conſilio, ac ratione ualeat prouidere. Et quia non nuda tantummodo prouidentia in principe ſummo requiritur, ſed multæ ſunt illius comites, & adminiſtræ uirtutes. Cuius induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, laborem in negotiis, fortitudinem in periculis maiorem unquam nos eſſe uidimus? Summa ſunt omnia in eo Ciues. Quanta enim in alios manſuetudine, ac beneficentia eſſe credimus? cum nobis ſane haud ſemper optime de eo meritis, toties tot offenſas grauiſſimas condonarit, eoſdem que immortalibus beneficiis auxerit? Iam quali in rebus reliquis temperãtia eſſe dicemus, quem ſummum pontificatum tanta moderatione gerentem cernimus, ut inde uoluptatis fortaſſe nihil, certe plus oneris, & laborum, quàm commodi, & quàm priuatæ utilitatis, nactus appareat? Humanitate uero iam tanta eſt, ut illorum, qui petituri aliqua cum adeunt, & ſi interdum ſiue proteruitate, & impudentia petitionum, ſiue quacunque ex cauſa impetrant minus, neminem abire dicant: cui non ſua illa affabili, & paterna reſpondendi benignitate factum ſit ſatis. id que iccirco contingit Ciues, quod Paulus Tertius non ita Dei Vicarium ſeſe meminit, ut eſſe hominem (id quod non nullis, quos fortuna temere extulit, uidetur uſu ueniſſe) oblitus ſit. Quantum deinde copia, ac grauitate dicendi ualeat, nequicquam ego commemo-

morem. Neminem enim uſpiam eſſe cenſeo, qui, ſi modo Pauli III. nomē ad eius aures unq̄ꝫ peruenit, non ſimul audierit eſſe eloquentiſſimum. Vos uero nō ex aliorum dictis, ſed auribus ueſtris ex ipſo id di diciſtis Ciues: cum ab hinc paucos mēſes in maxima ueſtrum frequētia, præſentibus nonnullis ex patribus Purpuratis, & multis minoribus Pōtificibus antiquas immunitates, & antiquos prope honores nobis reſti= tuens, ex q̄ꝫ perdito rerum ſtatu ſeruati eſſemus, com memoraret: tum ſi tyrannorum obliti, eximiæ erga nos charitatis memores, gratóſqꝫ animos geſſiſſemus, promiſſis explens, ad fidem, & ad officium tanta ui, tanta efficacitate cohortaretur, ut uobis cognita ſingu lari in uos domini uoluntate, amore, ac pietate erga eum arderent animi: & multi uix (præ gaudio) lachry mas teneretis. Et quoniam in imperio exercēdo mo mentum maximum habet authoritas, uere hoc mihi uideor eſſe dicturus: huic uni ſummo Pōtifici ineſſe tantū authoritatis, quantū in reliquis omnibus, quos aut ipſi uidimus, aut audiuimus, neque fuit unq̄ꝫ, neqꝫ eſſe (ni fallor) omnino potuit. De quo enim Pō tifice, anteq̄ꝫ ad ſupremum illum honorē eueheretur, aut melius ſenſiſſe, aut honorificētius locutum eſſe or bem terrarum unq̄ꝫ meminimus? Cuius uirtutis, ac ſapientiæ fama ſecundior unq̄ꝫ fuit? Quem propen= ſiore Cardinaliū ſtudio (id quod maxime facit autho= ritatem) creatum? Quem maiore nō modo urbis Ro

mæ,

mæ, ſed omniũ (ut dicebam) mortalium lætitia, fuiſſe renuntiatum Pontificem unq̃ accepimus? Qui, ne amplius aliorũ collatione id confirmetur, & omnium egregiarum rerum exempla ab eodẽ Paulo ſumãtur: Cum initio ſui põtificatus adeo ardẽtes mutuis odiis chriſtianorum principum animos inueniſſet, ut uno bellorum incendio, breui conflagratura omnia uiderentur, eos frementes, & indignantes, authoritate, ac reuerẽtia maieſtatis toties iam diremit. Qui ad recipiendum ex hoſtibus Tuneta, liberandúmq; mare noſtrum, ut in Libyam traiiceret, conſilio, & authoritate ſua Cæſarem impulit. De felicitate uero Pauli Tertii, quòd illã ſibi, cum ex unius ſummi Dei arbitrio, & nutu pendeat, nemo præſtare poſſit: pauca quidẽ, & timide (ut æquum eſt) uerba faciam: Non quæcunq; feliciter, & ex animi ſententia ei ceſſerint, ſed illud unum dicens breuiſſime, neminem ſanæ mentis hominem plura à Deo immortali auſum unq̃ optare, q̃ quæ Deus immortalis uidetur ad Diuum Paulum Tertium contuliſſe. Quod, ut illi ſit proprium, & perpetuum, cum ipſius gratia, tum maxime ob cõmunem omniũ gentium ſalutẽ, omnes mortales, & uos præſertim Viri Peruſini (ſicuti facitis) uelle, & optare debetis. Qui (ut deniq; ad nos redeam) nõ modo illi (id quod ſæpe ex me audiſtis) ſed oĩ Farneſiæ familiæ ob multa, & maxima merita eius in nos, obſtricti, & obligati ſempiternis ſæculorũ ætatibus fore uidemur,

Petrum enim Aloiſium Caſtri Regulum, ut à monſtris illis, quibus quotidie cum omnibus noſtris fortunis crudeliter abſumebamur, nos liberaret, nō ſemel uictricia, & glorioſa arma uidimus induiſſe. Nec magis uirtutem eius timuimus, dum pugnabatur, quàm fidem, manſuetudinem, & clementiam uicti dileximus. Octauius uero, etſi ætas minime tulit, ut maximum, & ſingulare aliquod facinus pro nobis adoriretur, quãtum per eam licuit tamen, oſtendit ciuitatem hanc ſuo eſſe egregie animo charã: dum ab hinc biennium nobiſcum unà non exiguum ſpatium primæ adoleſcētiæ ſuæ tranſegit. Nec aliam ob rationē cenſeo id ætatis, quæ iungēdis amicitiis erat aptiſſima, huc conceſſiſſe, quàm uti in familiaritatem, & neceſſitudinem ſuam præberet nobis inſinuandi nos penitus facultatem. Atque ita in omnē fortunam, omnémq; occaſionē magnopere ei confidere auderemus. Quocirca ſe ita benignum, facilem, affabilémq; omnibus exhibebat, ut qui dignitate principibus magnis excelleret, comitate priuatis ciuibus par uideretur. Alexander præterea Cardinalis nos in fidem, & clientelam ſuam accepit, & cum opus eſt, non ſecus, atq; pro patria, nō ſecus, atq; pro ſuis ciuibus, pro uniuerſa hac ciuitate, & pro omnibus nobis laborat. Verum Diui Pauli Tertii, à cuius charitate, & propenſa uoluntate in nos, perinde atque à capite, & fonte, quæcunq; illi in ciuitatem hanc contulere, ſunt deriuata: quæcunq;

conferent,

conferent, deriuabuntur: merita erga hanc urbem, magna, ingentia, diuina, tantum abeſt, ut conſequi uerbis poſſim, ut neminem hominum eſſe cenſeam, qui ſatis mente complecti queat. Quod quanquam ita eſt, cuperem tamen, quoad eius fieri poſſet, uos animo frequenter illa reuoluere. Nimirum ut ex immortalium eius beneficiorum in nos cognitione, atque memoria, etiam quàm magnum, & immortale id ſit, quod nos illi debemus, cognoſceretis. Et poſtquam facultas nulla, neque referendæ gratiæ, neque pro meritis agendi gratias ſuppetit, ut ſaltem quam licet, quám que poteſtis, ſemper tacitis cogitationibus haberetis: ſimul ut amor quidam eximius, ac potius ſuprema pietas, ea, quam ſummo, & immortali Deo homines exhibemus, haud multo minor erga omnes illos, præſertim uero erga Paulum Tertium, animis ueſtris innaſceretur. Quæ quidem intimis meis ſenſibus ita uiget, ut me ſæpe in ſingularium uirtutum, & rerum ab eo geſtarum contemplationem, illa quodammodo rapi ſentiam. Quamobrem non modo in hiſce publicis concionibus, quas ſtatis temporibus pro meo munere ad uos habeo: ſed in ſermonibus familiaribus (quod ex animi abundantia os lo-

Digitized by Google

ſus, quin gliſcentibus perpetua oratione laudibus eius longe plurima ſupereſſent. Quanquam id quidem mihi de hoc uiro, quem ſemper optimum ob beneficia, & uirtutem, ſemper maximum ob authoritatem, atque potentiam appellabo: dicenti uſu uenire, minime mirum eſt. Cum in eum unum natura, fortuna, Deus certatim tot, tantá que ornamenta eximia, ſingularia, diuina contulerint: quot, & quanta ad multos maximos Reges ornandos ſatis fuiſſent. Quin etiam uberrimi huius argumenti felix tractatio tantam oratori copiam ſuppetit, ut qui alioqui meopte ingenio ieiunus, aridus, infans, mihi nunquam non antea uiſus fueram, de ſanctiſſimi uiri huius laudibus agens, uideri non ullis interdum cœperim prope eloquens. Sed poſſit ipſe, & quidem iure optimo, indignari, me indiſertum, & labiis (ut Moſis uerbo utar) incircumciſum, auſum fuiſſe illius laudes uerbis attingere. Quibus neque Demoſthenes, neq; Cicero, neque qui alii ullis temporibus animos ad ſcribendum eloquentiſſimi applicuere, parem orationem potuiſſent unquam afferre. Et quas ego manca, impolitá que dictione fœdare potius poſſim, quàm ſicuti in ſe ipſæ ſunt, ſplendidiſſimas, maximé que illuſtres, uobis proponere. Verum uir optimus, & ſanctiſſimus, nullíſ q; humanis laudibus egens, pro ſua ſumma lenitudine, ac bonitate ignoſcet, ſpero: mihí que libens culpam hanc condonabit: ſi modo culpa

ſerui

ſerui eius eſt appellanda, qui cum multiplices domini laudes uehementer cuperet explicare, atque, ut id efficeret, omnes uires, omnes animi neruos candide intendit: diuina tamen, & immortalia illius merita, cœleſtes eius uirtutes modicis ingenii uiribus nequaquam eſt aſſecutus. Vos uero, ò Ciues, certe ueſtris maioribus uno hoc nomine multo beatiores, quòd ueſtra ætas in huius tempora incidit, quòd Diuo Paulo Tertio Pontifice Maximo uiuere contigit, poſtquam (quod ab initio intenderam) quantum dii immortales proſint hominibus, dum optimos principes regnare uolunt; Diui Pauli Tertii exemplo clare cognoſcitis: qui Italiam, & magna ex parte Europam ante illum perpetuis bellis uexatam; iam tot annos pacatam habuit. Cuius opera, ac inſigni liberalitate in doctos uiros, politiores literæ, & optimarum diſciplinarum ſtudia, maximam in lucem ſunt reuocata: qui ſapientiſſimis, ſanctiſſimis que hominibus, è toto terrarum orbe lectiſſimis, ſacroſanctum patrum collegium ſuppleuit: & eadem opera egit, ut ſimus poſt ipſum etiam optimos, ac ſapientiſſimos Pontifices habituri: qui non hanc ciuitatem modo, ſed uniuerſi regni ſui prouincias, contagione partium, ac ty

ultam ducens, nunquam quieſcit: qui ſuperioribus Pontificibus moderatione, iuſtitia, ſapientia, & omnibus aliis regiis, & ſummo principe dignis uirtutibus, tantum excellit, quãtum in hac ciuitate, quæ id temporis religioſorum, optime moratorum, & innocentium uirorum multitudo uideri poteſt, melius uiuitur, quàm olim, dum ſub aliis Pontificibus colluuies, & ſentina perditorum, nefariorúm que hominum uidebatur: quantó que ipſi patribus, auís que noſtris, hodie ſumus (neque uerebor, ne dictum id arrogantius accipiatur) atque adeo nobis ipſis, dum degebamus ſub aliis Pontificibus, meliores. Par eſſe cenſeo, ut mecum unâ cum omni reliquo uitæ ſpatio, tum maxime hoc tempore, ſupplicationes Deo optimo Maximo habeatis: gratulaturi quòd talem ſummum Pontificem nobis præfecerit, talém que in dies præſtet. Cor enim Regis in manu Domini, illúd que, quocunque uoluerit, inclinabit. Mox conſyderantes, quot periculis exitialibus diu obſeſſa fuerit res chriſtiana, quot mala infanda per hoſce annos impenderint, ut hinc noſtrorum defectione, & quaſi per cuniculos Dei Eccleſiam inhiet Lutherus, ut illinc aperta ui inſtet immanis, & potentiſſimus Rex Turcarum: ut ii, quorum officium fuerat nos ab his malis ſecuros reddere, mutuis offenſionibus fere intenti, ea neglexerint: quin, ut interdũ ab ipſis etiam uehementer timendum fuerit: Exiſtimate (id quod

res

res eſt) ſumma, & incredibili Diui Pauli Tertii pro-
uidentia factum, ut in tam ancipiti rerum ſtatu Reſ-
publica non occiderit: immo ſatis tranquille cum ea,
ſatis feliciter actum fuerit. Is enim nunc Cæſarem,
& Ferdinandum ad ſuſtinendos Turcarum impetus
excitando, & magna ipſe auxilia in Pannonias tranſ-
mittendo: nunc (ueluti ad Lydium lapidem) ad con
cilium, deſertores perfidos prouocãdo: nunc Regum
chriſtianorum odiis, & irarum fluctibus interceden-
do: & nunquam non potentia, opibús que in uſum
hunc comparatis, ſe ad propulſandam iniuriam in-
ſtructiſſimum oſtendendo: prudentia, ac uirtute ſua;
aleam ludentium inſtar, qui ingenio, ac ſciẽtia iactus
infeſtos corrigunt, egit ut turbulentiſſimis hiſce tem-
poribus, quàm quibus unquam, tranquilla, & placata
omnia nobis fuerint. Rem certe nouam, atque adeo
admirabilem, ut ſæpe uerear, ne poſteri, quibus ea nõ
æque, ac nobis comperta erit, falſam eſſe, & nemi-
nem unum hominem, tantum potuiſſe, unquam
exiſtiment. Deinde prouidentes, quòd, ſi Deus, ſiue
ut noſtra ſcelera ulciſceretur, ſiue ut optime actæ ui-
tæ præmia ei redderet, hunc ſanctiſſimum uirum re-
bus ita pendẽtibus, ad ſe ſubduceret: de noſtra quie-

uos, & laborum, quos pro re Chriſtiana ſemper exhauſit, exhaurit que nũc, ut cum maxime, dum his continuis imbribus, ut condictum concilii diem, locúm que obeat: & cum Cæſare, quem propediem in Italiam uenturum autumant, de communibus rebus unâ deliberet, in Citeriorem Galliam proficiſcitur, ad ſtrenue, præ cæteris imperio ſuo ſubiectis, ei dandam operam, fundendum ſanguinem pro fide erga illum, mortém que (cum opus fuerit) pulcherrimam, & honeſtiſſimam oppetendam, prompti eſtote. Nimirum, ut qui paulo ante ſeducti paucorum fraude uidebamini, ad defectionem finitimos ſolicitaſſe: eiſdem, modo ad omne officium, obſequiúm que enixe, ac ſumma fide communi Principi exhibendum, uideamini eſſe authores.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Concionis Quintæ, & Vltimæ

Finis.